PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. L 1961 - FASC. IV

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I. - Dissertationes et quaesita varia

Quaestiones recentiores de locis sacris et legum universalium derogationes in Prima Synodo Romana, Pars II et III, I. GORDON, S. I. 369

De dispensationibus matrimonialibus in dubio facti, A. SZENTIRMAI 408

Matrimonium cum persona dubie baptizata, L. BENDER,, O. P. 426

II. - Monumenta

S. C. Rituum

Instructio: *De calendariis particularibus et Officiorum ac Missarum propriis ad normam et mentem codicis rubricarum revisendis* 435

Decretum: *Missa dicenda ab episcopo sacra olea extra feriam in Cena Domini confecturo. Ritus servandus a sacerdote oleum infirmorum, si necessitas urgeat, confecturo* 449

S. C. Consistorialis

Dicionis Canadensis: *Decretum de constitutione officii Cappellani Generalis vicariatus castrensis* 452

Orbis — Vicariatus costrenses: *Decretum*: *Facultas audiendi confessiones pro militum Cappellanis extenditur* 454

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

QUAESTIONES RECENTIORES DE LOCIS SACRIS ET LEGUM UNIVERSALIUM DEROGATIONES IN PRIMA SYNODO ROMANA *

PARS ALTERA.

DE LEGUM GENERALIUM DEROGATIONE.

Summarium. I. De derogationibus propriis: A. De expressis (n. 51-6). B. De implicitis (n. 57-65). II. De derogationibus impropriis (n. 66-72). III. De Iuris communis quibusdam determinationibus (n. 73-8). IV. De derogationum ac determinationum praecedentium finalitate (n. 79).

47. Natura exceptionalis Episcopatus Romani, qui est cum Summo in Ecclesia Pontificatu coniunctus, fert secum ut idem numero sit legislator synodalis romanus et supremus totius Ecclesiae legislator ac rector, prout diserte traditur in prima S. R. constitutione: « Unus est in hac Synodo legislator Summus Pontifex, Romanae dioecesis Episcopus ».

Quamobrem fieri potest ut in ferendis constitutionibus pro dioecesi Romana, certa de causa, leges universales vel etiam privilegia et exemptiones aliquando derogentur, sicut innuitur iam a limine, sub art. 3:

> § 1. Nisi aliud expresse statuatur, privilegia et exemptiones, quae per legem generalem vel per specialem Apostolicae Sedis concessionem vigent, neque mutantur neque minuuntur.

---

* Prima pars huius dissertationis edita est in fasciculo praecedenti *Periodicorum*, p. 267-307.

§ 2. Si quid de generalibus Ecclesiae legibus vel de privilegiis et exemptionibus hac Synodo immutatur aut emendatur, in Romana tantum dioecesi vim habet, nisi aliud expresse caveatur.

48. Iam vero, in hoc articulo tria asserta magni momenti continentur, quorum primum et tertium directe et clare, alterum autem obiter et quasi implicite pronuntur: 1° Privilegia et exemptiones utcumque vigentia non mutantur neque minuuntur, nisi expresse statuatur (§ 1). 2° E converso, generales Ecclesiae leges immutari et emendari possunt etiamsi id expresse non edicatur (§ 2)[1]. 3° Tandem, hae omnes immutationes sive legum, sive privilegiorum ac exemptionum, non habent vim extra dioecesis Romanae territorium, nisi clare aliud pateat (ib).

De hoc tertio asserto sermo erit in Parte III, de reliquis vero in hac altera. Sed antea iuvat aliquid breviter indicare circa naturam harum derogationum prout de facto in constitutionibus synodalibus inveniuntur.

49. Et imprimis, simplificandi causa, has omnes sive mutationes, sive deminutiones, sive emendationes, comprehendimus sub unica voce *derogationis*, sensu lato sed proprio sumpta, prout ipse legislator synodalis ea utitur in art. 154 et 176, § 1, 1°.

Sed praeter has veri nominis derogationes seu *proprias*, sunt aliae mere apparentes seu *impropriae*, nam revera agitur de iure particulari vel privilegiato ante Codicem in dioecesi Romana vigente, nec per ipsum ablato, quod nunc, ut par erat, in constitutionibus synodalibus recipitur. His accedit tertium genus differentiarum respectu iuris communis, quae tamen nullo modo derogationes dici possunt, sed potius eiusdem iuris *determinationes*, quas cuique Ordinario loci integrum est

[1] Aliquid simile habetur, conceptis verbis, in can. 22, ubi de modis quibus obrogatio alicuius legis per aliam posteriorem evenire potest: « Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, *aut sit illi directe contraria*, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam. ... »

pro sua dioecesi facere ac decernere, ac de quibus meminit legislator noster cum alludit ad quasdam constitutiones synodales « quae leges canonicas ... subaudiunt, vel aptant, vel definiunt » (art. 205, § 2).

50. De his igitur omnibus, scl. de derogationibus propriis, de impropriis ac de iuris communis determinationibus, sermo erit in tribus paragraphis subsequentibus. Et quidem, quoad derogationes attinet, voluimus omnes exhaustive recensere ac perpendere; quoad determinationes autem, cum plures sint et valde diversi momenti, sat erit potiores attingere.

Tandem quartam paragraphum addemus, ubi breviter harum omnium constitutionum finalitatem innuemus [2].

I. De derogationibus propriis.

51. Ut modo diximus, plures sunt in Synodo Romana veri nominis derogationes, quarum aliquae sunt *expressae*, seu ut tales a legislatore agnitae; non ita sunt reliquae, quas ideo derogationes *implicitas* vocamus.

A. De derogationibus expressis

a. Quoad excardinationis et incardinationis modum.

52. Iuxta can. 114, ut clericus alienae dioecesi incardinetur, sufficit, ut, servatis servandis, quodcumque beneficium *residentiale* in aliena dioecesi obtinuerit. Attamen in dioecesi Romana hoc non sufficit, sed requiritur insuper iuxta art. 21 b, ut beneficium illud sit *curatum*. Merito igitur legislator, cum hoc statuit, addidit eiusmodi praescriptum esse « contra can. 114 ».

b. Quoad privilegia oratorii privati et altaris portatilis.

53. Haec privilegia (cf. can. 1195 et 833, § 2-3) per se concedi possunt sacerdotibus in proprium eorum per-

---

2 Abstrahimus a derogationibus, quae rem liturgicam spectant, de quibus in art. 26, § 3; 27, § 2; 61.

sonale commodum, etiamsi sani sint, et non exclusis diebus dominicis. Sed utrique privilegio tanta amplitudine concesso derogaretur per art. 56, § 1:

> Sacerdotes omnes, tum dioecesani tum extranei, etiamsi gaudent privilegio oratorii privati vel altaris portatilis, diebus festis de praecepto, nisi legitimo detineantur impedimento, divinum Sacrificium facere debent publice, horis quidem fidelibus vel peculiaribus eorumdem coetibus magis aptis.

Notetur tamen quod talis derogatio satis raro eveniret, praesertim quoad privilegium altaris portatilis, propterea quod hoc privilegium non conceditur nisi vel certis Praesulibus [3], de quibus non est sermo in praesenti art. 56 [4]; vel etiam sacerdotibus, sed regulariter ob necessitatem ministerii apostolici aut ob propriam infirmitatem [5].

c. Quoad functiones Parochis reservatas.

54. Functiones Parocho reservatae enumerantur in can. 462; quibus addendae sunt nonnullae facultates respicientes matrimonium, quae hic saltem expresse non attinguntur (cf. can. 1020, 1043, etc.), et praesertim facultas confirmandi eos qui ex gravi morbo versantur in periculo mortis, quam Pius XII exclusive concessit Parochis territorialibus, certis Vicariis, et sacerdotibus qui in iuribus et officiis aequiparantur Parochis [6].

---

[3] Ipso iure conceditur S. R. E. Cardinalibus (can. 239, § 1, n. 7), Ex.mis Episcopis tum residentialibus tum titularibus (can. 349, § 1, n. 1), Vicariis et Praefectis Apostolicis (can. 294, § 1, et 308), Abbatibus et Praelatis nullius (can. 323, § 1), Administratoribus Apostolicis (can. 315) et perpaucis Romanae Curiae Praelatis vi Const. Apost. Pii XI « *Ad incrementum* », 15 Aug. 1934, in: *A.A.S.* 26 (1934) 497 ss.

[4] Cf. infra, n. 76.

[5] Cf. *Instructionem* S. C. de Sacramentis 1 Oct. 1949, in: *A.A.S.* 41 (1949) 502 s.

[6] S. C. de Sacramentis, *Decr.* « *Spiritus Sancti* », 14 Sept. 1946, in: *A.A.S.* 38 (1946) 349-354.

His omnibus legibus expresse derogatur per art. 154 in favorem infirmorum in nosocomiis degentium. Quamobrem:

Generalibus Ecclesiae legibus derogatis, Cardinalis Vicarius has quae sequuntur facultates moderatori cappellanorum, in publicis valetudinariis vel in hospitalibus infirmorum curandorum aedibus operam insumentium, concedere poterit, quibus illi in memoratis valetudinariis domibusve tantum fruantur:

1° ad Baptismum, quod attinet: facultatem lustralis aquae fontem in sacello habendi, puerosque baptizandi, qui in hisce valetudinariis domibusve vel in lucem editi vel hospitio accepti sint, salvo praescripto art. 383;

2° facultatem Confirmationem morientibus administrandi, iisdem prorsus condicionibus, quae parochis statutae sunt (cfr. artt. 399 et 400);

3° ad Paenitentiam, quod spectat: facultatem Confessiones audiendi eamque, *per modum actus*, aliis etiam sacerdotibus concedendi, qui rite a quovis Ordinario probati sint;

4° ad Eucharistiam, quod spectat: facultatem sacrum Christi Corpus in viaticum morientibus afferendi;

5° omnes facultates parochis proprias, quae vel ad praevia Matrimonii acta et documenta, vel ad ipsum sacramentum celebrandum spectant, dummodo unus saltem contrahentium hospitio receptus sit; hisce in rerum adiunctis, excepto mortis periculo, ad liceitatem necesse est ut Vicariatus mature certior fiat de celebrandi Matrimonii statu atque adiunctis (« posizione matrimoniale »), atque ut ratio scripto mandetur, cur Matrimonium in valetudinario celebrandum sit;

6° facultatem aegrotantes, hospitio receptos, Extrema Unctione illinendi;

7° potestatem in valetudinarii vel huiusmodi domus sacello iusta funebria iis persolvendi, qui ibi defuncti sint;

8° ad reliquas reservatas caerimonias, quod attinet: facultatem valetudinaria infirmorumque curandorum domos hebdomada post sollemnia Paschae benedicendi, Baptismatis fontem Sabbato Sancto piandi, sacras processiones indicendi iisque praesidendi ceterasque sollemnes benedictiones impertiendi, de quibus can. 462, n. 7° statuit.

Agitur proinde de derogatione absolute a Romano Pontifice facta: « Generalibus Ecclesiae legibus derogatis », sed cuius usus committitur Cardinali Vicario, qui, pro sua prudentia, praefatas facultates « concedere poterit » vel non concedere.

55. Porro aliqua breviter annotare iuvat circa harum facultatum naturam et concessionem:

Et imprimis, non omnes facultates in hoc art. 154 recensitae implicant totidem derogationes iuris communis, nam relate ad n. 3 dicendus legislator synodalis usus esse facultate qua pollet quivis Episcopus in sua dioecesi; et quod attinet ad fontem baptismalem, de quo sub n. 1, iam eius permissio praevidetur pro casu simili in can. 774, § 2, iuxta quem « loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines ».

2° E converso, cum sub n. 7 agatur de vera derogatione can. 462, 5°, et 1222, sequitur ut Cappellani iusta funebria persolventes, in sacello valetudinarii vel huiusmodi domus, ad portionem parocecialem dandam, de qua can. 1236, non teneantur.

3° Quamvis sermo sit de nosocomiis ubi sunt plures Cappellani sub Moderatore [7], hoc tamen non ideo videtur dictum quasi praedictae facultates non possint concedi nosocomiis ubi unicus exstat Cappellanus, sed potius ad indicandum quod, ubi sunt plures, non omnes facultates singulis Cappellanis, sed tantum eorum Moderatori esse concedendas, qui deinde, modo sibi praescripto, cum reliquis communicabit. Hoc autem speciale habet momentum in licentia assistendi matrimonio [8].

4° Quoad nosocomiorum indolem seu naturam, perinde est agatur de aedificiis publicae beneficentiae seu officialibus (« publica valetudinaria ») ac de sanatoriis

---

[7] *Moderator* non videtur intelligendus de aliquo Sacerdote in Urbe, cui ex officio competat moderari omnium nosocomiorum Cappellanis, sed potius de illo qui in nosocomio, ubi sunt plures Cappellani, ceteris moderatur. Quod colligitur ex eo quod nullibi fit mentio de tali munere Moderatoris generalis omnium Cappellanorum, et quia in art. 155, § 1 sermo est de Moderatore tamquam degente et devincto cum valetudinario infirmorumve domo singulari.

[8] Hac in re omnino obtinet summa normarum collecta in fasciculo *Norme pratiche per la celebrazione del matrimonio*, edito a Vicariato a. 1957.

seu clinicis privatis (« domus vel aedes hospitales infirmorum curandorum »).

5° Diserte animadvertitur Cappellanos facultatibus concessis non frui extra memorata valetudinaria domusve; e converso videtur dicendum Parochum paroeciae « in cuius finibus valetudinarium infirmorumve domus exstat » (art. 155, § 3) habere iurisdictionem cumulativam cum Cappellanis, ideoque posse saltem valide in his locis etiam matrimonio assistere.

6° Denique, tum Moderator Cappellanorum tum Cappellanus unicus, qui praefatis facultatibus fruuntur, gaudent quoque iure proprii tabularii ad norma art. 155, § 1 (cf. can. 777 et 798), et tenentur officiis de quibus in § 2-3 eiusdem art. [9].

d. Quoad facultatem Regularium eleemosynas petendi.

56. Secundum can. 621, § 1, « Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia ». At in art. 176, § 1 traduntur plura praescripta omnibus religiosis *rigide* servanda, quorum primum est necessitas obtinendi licentiam e Vicariatu ut mendicare possint:

> Derogatione facta ex can. 621, § 1, ad quaerendam stipem in dioecesis territorio licentia requiritur, scripto a Vicariatu data, etiam ad regulares « ex instituto mendicantes » quod attinet, proprias domos in Romana dioecesi habentes.

Reliqua praescripta attinent ad circumstantias mendicationis, addita revocatione omnium licentiarum ante Synodum concessarum.

---

[9] Occasione huius derogationis iuris parochorum in favorem capellanorum hospitalium, placet in memoriam revocare *Romana. Hospitalis,* seu causam disputatam in S. C. Visitationis Apostolicae inter Hospitalem S. Salvatoris et Parochum Ecclesiae Lateranensis, quae in favorem huius fuit decisa, sicut refert Io. B. DE LUCA, *Theatrum Veritatis et Iustitiae,* Romae 1669 ss., vol. 12, P. 3, p. 110-114.

B. De derogationibus potius implicitis

a. Quoad leges Ecclesiae Orientalis de temporibus sacris.

57. Leges Ecclesiae Orientalis de temporibus sacris sunt personales, ideoque per se obligant fideles ritus orientalis etiamsi versentur extra territorium vel communitatem sui ritus[10]. Ne tamen difficultatibus implicarentur, a tempore Pii XI aliquibus coetibus orientalium extra locum proprii ritus versantibus concedi coepta est derogatio facultativa seu privilegium quod attinet ad leges de observantia festorum et ieiunii ac abstinentiae, ita ut eisdem integrum sit stare consuetudini locorum in quibus degunt[11].

Hanc derogationem Romanus Pontifex induxit quoque in S. R. art. 10 *c* in favorem clericorum, religio-

---

[10] Ius orientale distinguit inter leges praecipue ritus respicientes et leges mere disciplinares. « Illae cuiusque Ritus fideles ubique tenent (ita, v. g., impedimenta matrimonii, irregularitates, impedimenta ad sacram ordinationem, dies festi *de praecepto*), ceterae quae magis relationem dicunt ad exercitium iurisdictionis Hierarchae loci, tamdiu nos [Orientales] ligant quamdiu propter domicilium, quasidomicilium vel actualem commorationem subicimur nostri Ritus hierarchae in loco constituto, vel si de clericis agatur, quamdiu eparchiae adscripti maneant, dummodo, si res sit de lege non mere personali, constet de voluntate Episcopi obligandi eos clericos qui in eparchia domicilium vel quasidomicilium non habent » (A. COUSSA, *Epitome Praelectionum de iure ecclesiastico orientali*, Pont. Inst. Utr. Iur., 1948, vol. I, n. 10).

[11] Ad rem concessio facta pro fidelibus Graeco-Ruthenis degentibus in foederatis civitatibus Americae Septentrionalis: « Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possint, facultas eis fit festa et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt » (S. C. PRO ECCLESIA ORIENTALI, *Decr.* diei 1 Mart. 1929, art. 36, in: *A.A.S.* 21 [1929] 158). Cf. etiam similem facultatem concessam Graeco-Ruthenis degentibus in regione Canadensi (*Decr.* d. 24 Maii 1930, art. 41, in: *A.A.S.* 22 [1930] 352 s. Cf. *Declarationem* d. 11 Iunii 1930, *ibid.* 354). Haec decreta assumuntur in *Statutes of the Archeparchy of Philadelphia* (7-8 Oct. 1959), Metropolitan Chancery, Philadelphia 1960. Cf. can. 475, 5, pag. 131.

sorum vel laicorum orientalis ritus qui in territorio Vicariatus Urbis [12] quoquomodo commorantur [13].

b. Quoad licentiam scribendi pro clericis et religiosis requisitam.

58. In can. 1386, § 1 prohibetur clericis sine consensu suorum Ordinariorum et religiosis sine licentia insuper sui Superioris maioris « in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere », quod intelligunt auctores de quibuslibet diariis, foliis et libellis, sive non catholicis sive catholicis, potius vero de his, ex contrapositione cum § 2, ubi severior prohibitio continetur relate ad illa diaria etc. quae « religionem catholicam aut bonos mores impetere solent » [14].

Verumtamen in S. R. art. 42, § 3 (ubi expresse alluditur ad can. 1386, § 1) prohibitio scribendi seu

---

[12] Ergo non eis qui in *Civitate Vaticana* degerent. Cf. infra n° 81, et art. 11, § 1.

[13] Iuvat transcribere art. 10, ut dein alicui difficultati, quae fortasse circa illum moveri posset, occurramus: « Qui clerici, religiosi, vel laici orientalis ritus, in territorio Vicariatus Urbis quoquomodo commorantur: *a*) Cardinali Vicario, tamquam suo Ordinario, aeque ac latini, subsunt, firmo praescripto b); *b*) synodalibus his constitutionibus tenentur, salvis liturgicis uniuscuiusque ritus legibus; *c*) si in nulla degunt sui ritus communitate, possunt, quod attinet ad dies festos et ad ieiunium et abstinentiam, servare ritum illius communitatis apud quam vivunt, vel ritum latinum ».

Fortasse quaereret quispiam an per huius art. clausulam introductoriam et litt. a) derogaretur can. 94, de modo acquirendi Ordinarium, quasi in Urbe sufficeret simplex commoratio, absque obtento domicilio vel quasidomicilio. Sed respondendum negative, quia illa verba: « aeque ac latini », potius quam inferre mutationem, videntur appellare ad modum quo de facto latini obtinent Ordinarium iuxta can. 94, § 1. Consequenter dicendum illam clausulam introductoriam valere pro tribus litt. sequentibus, sed aliter pro alia, iuxta subiectam materiam: nam pro litt. b) et c) sufficit simplex commoratio, ideoque valet de peregrinis et de vagis; sed pro litt. a) requiritur commoratio ad quasidomicilium saltem evecta.

[14] Cf. M. Conte a Coronata, *Institutiones Iuris Canonici*, Romae 4 1950 vol. II n. 955. A. Blat, *Commentarium textus Codicis I. C.*, Romae 1923, vol. III, n. 274.

necessitas obtinendi licentiam restringitur ad collaborationem dumtaxat « in illis actis diurnis et commentariis quae certa catholica principia non redoleant ». Ergo videtur concludendum quod in commentariis catholicis licet collaborare absque praevia licentia.

Si tamen *articuli* ad religionem morumve honestatem attineant, in neutro casu (scl. sive collaborent actis diurnis non catholicis sive catholicis) excusantur a censura de qua can. 1385, prout expresse inculcat S. R. art. 296.

59. Et haec fortasse est ratio cur minus necessaria visa fuerit illa licentia. Cui rationi videtur accessisse convenientia procurandi ut facilior evadat collaboratio utriusque cleri in actis diurnis et commentariis catholicis. Certum est quod, posita hac derogatione, *articuli* de rebus profanis a clericis saltem saecularibus scripti, non erunt obnoxii neque licentiae neque censurae; verumtamen difficultas ex hoc capite fortasse aliquando oriunda, praeterquam quod satis superque videtur compensari per illud bonum maioris collaborationis, practice censenda soluta per ipsam catholicorum diariorum directionem.

c. Quoad exemptionem Regularium in exercitio ministerii apostolici.

60. Lex exemptionis Regularium non est absoluta, sed coarctatur quibusdam limitationibus expresse et taxative indicatis a legislatore, prout diserte traditur in can. 615: « Regulares ... ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ».

Iam vero, quod attinet ad ministeria sacra, quattuor sunt casus in quibus exemptio vel aliquo modo attingitur vel etiam derogatur [15]. Nam primo in can. 608, § 1

---

[15] Armando Cuva, *De iuridicis relationibus inter Ordinarios locales et religiones exemptas ad cultum quod attinet*, Romae 1956. Recensuit S. Alonso, apud *Rev. Española de Derecho Can.* 12 (1957) 196 s.

habetur generalis commendatio superioribus facta ut eorum subditi, ab Ordinariis locorum vel Parochis requisiti, libenter suam collaborationem pastoralem praestent. Deinde in can. 609, § 3, ubi, occasione praescribendi superioribus ut advigilent ne divina officia in propriis ecclesiis celebrata explanationi evangelii vel catechesis in paroecia faciendae nocumentum afferat, additur iudicium de hac re ad loci Ordinarium pertinere [16]. Praeter hos duos casus in quibus exemptio leviter tantum attingitur, sunt alii duo qui veras exceptiones continent, cum expresse agatur et de iure Ordinarii obligandi religiosos etiam exemptos, et de horum obligatione parendi Ordinariis. Primus refertur ad catecheticam populi institutionem tradendam, « praesertim in propriis ecclesiis » — ergo etiam extra illas —, attamen « sine ... religiosae disciplinae detrimento » (can. 1334); alter autem ad brevem explanationem evangelii vel doctrinae christianae faciendam fidelibus adstantibus diebus festis de praecepto in Missis, verumtamen dumtaxat « in suis ipsorum ecclesiis » et non in aliis (can. 1345). Extra hos casus stat Regularium exemptio.

61. Attamen propter singulares Urbis spirituales necessitates, quas commemorabat Summus Pontifex in allocutione diei 27 Ianuarii 1960 ad Synodum Romanam [17], concinnatus est art. 47, qui Regulares in re de ministeriis apostolicis ad aliquid novum obligat, ideoque eorum exemptioni vere derogat.

Iuvat huius praescripti analysim instituere. Et imprimis eius *subiectum passivum* sunt tum « sacerdotes omnes in Urbe commorantes, cuicumque dioecesi vel re-

---

16 B. Da Gangi, *L'orario delle Messe festive imposto dal Vescovo nelle chiese religiose*, in: *Palestra del Clero* 34 (1955) 184-186; P. Tocanel, *De facultate Ordinarii loci prohibendi divina officia in ecclesiis et oratoriis religiosorum*, in: *Apollinaris* 28 (1955) 316-353 et 29 (1956) 91-124. Agitur de dissertatione valde accurata. Cf. praesertim p. 326 ss.; P. Huizing, *De auctoritate Ordinariorum locorum in Missa paroeciali propaganda*, in: *Periodica* 44 (1955) 175 ss.

17 *Prima Romana Synodus*, Typis Polygl. Vatic. (1960) p. 403. 421.

ligioni adscripti [18], cuiuslibet aetatis, nationis, ritus ... » (§ 1), dummodo « a suis Moderatoribus licentiam assecuti sint in Urbe unum saltem annum commorandi » (§ 2), tum etiam ipsi « Superiores religiosi quibus ius est (can. 874, § 2) suos subditos praesentandi, ut facultates assequantur audiendi Confessiones et concionandi » (§ 4); *obiectum* autem est, relate ad religiosos subditos, « facultatem sibi comparandi ut Confessiones audire et verbum Dei praedicare valeant » (§ 5), et quidem « intra annum ab inita commoratione » (§ 3), relate ad eorum Superiores quod Cardinali Vicario « eosdem ... praesentent intra praestitutos terminos » (§ 4) ut facultates obtinere valeant; denique, *vis* praescripti est vere gravis et obligatoria, nam singuli religiosi ad iussa implenda « gravi obligatione adstringuntur » (§ 1 et 5), ac, consequenter, Superioribus non est liberum eorum praesentationem facere vel omittere, sed praescribitur ut eos « vi huius synodalis legis praesentent » (§ 4).

Ex quibus patet qualis sit derogatio exemptionis regularium inducta per art. 47.

62. Porro, cum hoc art. 47 valde connectuntur art. 49 et 172; nam ille agit de facultatum obtentione, ii duo autem de earumdem (et aliarum praeterea) exercitio. Et tamen natura sunt valde diversi, nam dum in art. 47 continetur, ut modo vidimus, districtum praeceptum, in art. 49 et 172 habetur mera invitatio, licet valde suasiva, omnino secundum tenorem can. 608, § 1, supra allegati, concepta, ad quem de cetero remittit art. 172.

Fortasse alicui admirationi erit tanta diversitas, quasi per hanc meram invitationem ad exercitium facultatum obtentarum enervetur efficacia practica illius rigorosi praecepti illas obtinendi. At videtur intentionem legislatoris fuisse, non tam omnes sacerdotes — in

---

[18] Etiam exemptae, ut constat praesertim ex art. 9, § 1, 2°: « Ipsis [Synodi constitutionibus]... tenentur ... omnes religiosi etiam exempti, qui Romae commorantur, nisi aliud expresse cavetur aut ipsa rei natura postulat »; quorum neutrum hic habetur.

casu, religiosos exemptos — indistincte ad exercenda ministeria cogere, quam efficaciter ab omnibus removere impedimentum carentiae facultatum, quo stante, certo certius omnes impares essent exercendi apostolatus, et, quo ablato, multi sponte et libenter illum exercebunt, ac proinde, absque necessitate ulterioris praecepti, satis consuletur bono spirituali Urbis.

d. Quoad examen praebendum pro licentiis audiendi Confessiones et praedicandi obtinendis.

63. In can. 877, § 1, et 1340, § 1 iubentur Ordinarii et Superiores religiosi, ne concedant regulariter licentiam audiendi confessiones vel concionandi nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint. Huic praescripto derogat S. R. aliquo modo per art. 72 et 74, § 2, districte prohibentes praefatis Ordinariis et Superioribus ne eos, qui eiusmodi examen prospere in Urbe fecerunt, ad aliud examen adigant, firmis praescriptis can. 877, § 2 et 1340, § 2, ubi excipitur casus de dubio prudenti an sacerdos pergat esse idoneus. Nisi mavis dicere S. R. velle ut eiusmodi examen Romae peractum habeat rationem criterii suppletorii — et quidem in casu necessario acceptandi — de quo in praefatis canonibus, ubi dicitur: « nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant » [19].

e. An quoad domus religiosae exemptae erectionem?

64. Iuxta can. 497, § 1, ad erigendam quamlibet domum religiosam requiritur semper beneplacitum Ordinarii loci; si tamen agatur de domo religiosa exempta aut de monasterio monialium, necesse est imprimis beneplacitum Sedis Apostolicae.

---

[19] Ita etiam U. NAVARRETE, S. I., qui tamen mavult hoc praescriptum synodale « privilegium » appellare. (*De iurisdictione ad audiendas confessiones iuxta Constitutiones Primae Romanae Synodi,* in: *Periodica* 50 [1961] 197).

Iam vero, in art. 171 et 180, ubi agitur respective de erectione in Urbe domus religiosae sive virorum sive feminarum, nulla fit neque distinctio domus exemptae vel minus, neque mentio beneplaciti Sedis Apostolicae. Unde aliquis quaerere possit an sufficiat beneplacitum Cardinalis Vicarii ad erigendam in Urbe domum religiosam etiam exemptam vel monasterium monialium; et consequenter an praefati articuli derogent clausulae supra relatae ex can. 497, § 1.

Primo aspectu videretur respondendum affirmative. Nam ablata, ut supra indicavimus, illa distinctione inter domum exemptam et non exemptam, nec amplius expressa necessitate beneplaciti Sedis Apostolicae, videretur erectionem cuiuslibet domus religiosae in diocesi Romana faciendam esse secundum *unicum schema,* et quidem secundum illud *Codicis* pro domo non exempta, scl., per solum Ordinarii loci beneplacitum. Accedit quod in art. 180 fit accurata et minuta recensio omnium documentorum quae quaevis Antistita Generalis, cupiens Romae quamlibet domum erigere, Cardinali Vicario simul cum petitione exhibere debet; inter quae tamen nulla mentio fit de obtento per prius Sedis Apostolicae beneplacito. Et confirmatur utrumque argumentum ex eo quod in casu simili, scl. ubi agitur de alienatione bonorum ad religiosas pertinentium, S. R. expresse mentionem facit de beneplacito Apostolico (art. 198, § 1).

Sed contra est utramque omissionem bene explicari ex eo quod S. R. solummodo voluit indicare quae praestanda sunt in Romana dioecesi pro erectione cuiuslibet domus religiosae, omissis quae praeterea in certis casibus, iuxta praescripta *Codicis,* apud S. Sedem praestanda forent. Et confirmatur haec interpretatio ex eo quod in pluribus synodis dioecesanis, praesertim in I Synodo Aquisgranensi, a. 1959, art. 203, § 1-2, habetur dispositio concepta simili omnino modo ac art. 171 et 180 S. R., et certo certius in illis dioecesibus requiritur insuper beneplacitum Apostolicum![20]. Patet igitur illas

[20] Erste Diözesansynode Aachen, Band II, Aachen (1959) p. 92. Similiter etiam Syn. Sandomiriensis I, a. 1923, art. 87

omissiones in S. R. non secum ferre derogationem praescripti *Codicis* de quo in casu. Nec obstat huic conclusioni expressa mentio beneplaciti Apostolici quae fit in art. 198, § 1, propterea quod casus non sit similis, sed satis diversus. Etenim, ubi agitur de alienatione, necessitas licentiae Ordinarii loci (qua de cetero non omnia instituta religiosa egent) et beneplaciti apostolici est tantum *disiunctiva*, scl. requiritur secundum quantitatem pecuniae vel rei valorem aut una aut alia (can. 533-535); consequenter, non poterat fieri mentio de solo Cardinali Vicario, omisso beneplacito Apostolico, absque

---

(Sandomiriae 1923, p. 78); Syn. S. Sebastiani Archidioeceseos I, a. 1949, art. 197, § 1 (Rio de Janeiro 1949, p. 114); Syn. Archid. Limensis XVIII, a. 1959, art. 133 (Lima 1960, p. 68).

De cetero dicendum est in synodis dioecesanis vel archidioecesanis magnam vigere varietatem relate ad modum tractandi hoc argumentum. Nam imprimis sunt nonnullae quae non agunt de domorum religiosarum erectione, v. g., Syn. Utinensis II, a. 1926 (Udine 1926); Syn. Arretina, a. 1935 (Arretii 1935), etc. Aliae autem aliter rem tractant: nam, *vel* satis eis est remittere in genere ad can. 497, v. g., Syn. Pisana XI, a. 1920, art. 257 (Torino 1921, p. 106); Syn. Clavarensis III, a. 1933, art. 141 (Romae, Typ. pol. Vat., 1934, p. 37), etc.; *vel* mentionem expressam faciunt de sola licentia Ordinarii loci, prout supra diximus evenire in Syn. Aquisgranensi I et aliis; *vel* de licentia Ordinarii loci et de beneplacito S. Sedis, v. g., Syn. Quebecensis II, a. 1940, decr. 132, § 2 (Quebeci 1940, p. 142); Syn. de Trois-Rivières III (Canada), a. 1949, art. 147, § 1-3 (Trois-Rivières 1950, p. 72), etc.

Liceat nobis claudere hanc notam referentes duo decreta synodalia, quae dispositiones aliquatenus singulares super hac re de erectione domorum religiosarum continere videntur. Syn. Panormitana, a. 1935, art. 186: « Ut nova domus religiosa in Archidioecesi erigatur servandae erunt normae iure statutae (c. 495-497). Si qua fortasse domus religiosa quasi furtive, nobis insciis et inconsultis, insinuari potuit in Archidioecesi, infra sex menses ab editis hisce synodalibus constitutionibus aut curet ut erectio corrigatur ad tramitem iuris, aut domus claudatur » (Panormi 1934, p. 37). Syn. Maioricensis, a. 1932, decr. 341: « ... nulla domus religiosa erigi potest sine licentia Apostolicae Sedis in scriptis data », et remittitur in nota ad « Litt. circ. Sacrae Nuntiaturae Apostolicae, 2 febr. 1915 et 14 iun. 1924 » (Palmae 1933, p. 194). Sunt tamen alia sive Concilia Provincialia, sive Synodi, recentius in Hispania celebrata, a quibus eiusmodi praescriptio exsulat, v. g., Conc. Prov. Granat., a. 1944, decr. 169 ss. (Granatae 1947, p. 56 ss.).

periculo inducendi in errorem, scl. quasi semper requireretur licentia Ordinarii loci. E converso, ubi agitur de erectione domus religiosae, *semper* requiritur licentia Ordinarii loci; beneplacitum autem S. Sedis solum in certis casibus, sed tum quidem *cumulative* cum licentia Ordinarii loci. Ergo bene S. R. in hoc casu poterat silere de beneplacito Apostolico, quin hoc silentium ulli errori daret ansam [21].

f. Quoad Missarum onera sub exitum anni tradenda.

65. Can. 841, § 1 praescribit, ut omnes, qui quovis modo ad onera Missarum implenda obligantur, sub exitum cuiuslibet anni (qui computandus erit ad normam § 2), Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant; ubi nulla fit distinctio neque onerum neque Ordinariorum, ac proinde onera illa Missarum superflua — sive sint stipendia legata, sive manualia, sive ad instar manualium (can. 826) — tradenda

---

[21] Relate ad ius religiosorum, plures adhuc habentur in S. R. sive coarctationes sive determinationes, sed minores, quod advertit ipse legislator, quandoquidem, occasione huius argumenti, scripsit articulum iam supra relatum (cf. n. 50), ubi obiter verba facit de « synodalibus praescriptis, quae leges canonicas, religiosis statutas, subaudiunt, vel aptant vel definiunt » (art. 205, § 2).

Longum esset has omnes minores modificationes afferre; ideo sufficiat unam alteramve annotasse. In art. 171, § 4 prohibentur religiosi accipere in suis domibus hospites « qui pactum praetium pro victu solvant », sed expresse praemittitur: « salvo Apostolico privilegio ». Videtur igitur hic contineri nova alia legis exemptionis derogatio (can. 615), nam satis clarum est ipsam religiosorum exemptionem non venire sub clausula « salvo Apostolico privilegio », quia tunc fere evanesceret prohibitio. Simile praescriptum, etsi districtius, habetur pro feminis religiosis in art. 182.

Quamvis *Codex I. C.* ita concedat Episcopis residentialibus facultatem condendi Congregationem Religiosam, ut tamen non eis imponat licentiam scripto concedendam (can. 492, § 1), tamen de facto ita fit, tum aliis de causis obviis, tum etiam ad obtinendam iuridicam personalitatem (cf. A. TABERA, *Derecho de los Religiosos*, Madrid ³1957, p. 43 s. et nt. 29). Ideo optime S. R. expresse praescribit nemini licere novum religiosae vitae institutum Romae condere « priusquam licentiam a Cardinali Vicario de hac re scripto obtinuerit » (art. 179).

sunt omnia Ordinario proprio, quicumque hic sit, etiamsi religiosus [22]. Quodsi quis plures Ordinarios proprios habeat, cuilibet eorum onera pendentia libere tradere potest [23].

At in art. 413 S. R. praecipitur ut, praeter stipendia manualia, reliqua omnia, scl. stipendia legata et quasi manualia, Vicariatui tradantur; quo derogatur capacitati, quae cuilibet Ordinario in *Codice* agnoscitur, recipiendi sub exitum anni onera Missarum a suis subditis non expleta:

> Missarum onera, quae legata pecunia fieri debuerunt, item aliorum, ut in can. 841, quibus nondum fuerit satisfactum, sub exitum cuiuslibet anni, Vicariatui tradantur (cfr. cann. 842 et 1550); stipendia autem Missarum manualium, quae post annum a die suscepti oneris celebratae non fuerint, ad proprium mittantur Ordinarium.

II. De derogationibus impropriis.

66. Ut supra indicatum manet, praeter derogationes proprias hucusque expositas, sunt aliae potius apparentes, quia revera agitur de iure particulari vel privi-

---

[22] Quod in can. 841, § 1 agatur de quacumque stipendii specie, et nominatim de quasimanualibus, patet ex eo quod in § 2, ubi quaestio est de modo computandi « exitum anni » — de quo in eadem § 1 —, duplex modus indicatur, alius pro « *ad instar manualium* », alius pro « *manualibus*, quod signum evidens est in § 1 sermonem quoque esse de quasimanualibus. Idipsum tenet M. Conte a Coronata, *op. cit.*, vol. I, n. 277 b.

[23] Quamvis clerici speciali et firmiori modo devinciantur Ordinario in cuius dioecesi incardinati sunt, tamen, non minus quam reliqui fideles plures sortiri possunt proprios Ordinarios per multiplicationem domicilii vel quasi domicilii vel utriusque (cf. can. 94, § 1. Ad rem Sipos-Gálos, *Enchiridion Iuris Canonici*, Roma 1954, p. 88). Iam vero, ubi quis gaudet pluribus Ordinariis, quemlibet adire potest, nisi aliud in iure caveatur: « Si vero nulla lege aut consuetudine definiatur quisnam parochus aut Ordinarius proprius sit prae ceteris adeundus, unicuique remanet electio libera; decet tamen, si nihil obstet, ut ille eligatur in cuius territorio actualiter versatur » (G. Michiels, *De Personis*, ed. 2ª, p. 209). In casu videretur decere ad illum Ordinarium onera Missarum « ad instar manualium » adhuc pendentia tradere, ad cuius dioecesim fundatio ipsa pertineret.

legiato vigente ante *Codicem*, nec per illum ablato, quod nunc in Synodo Romana recipitur. Agitur dumtaxat de triplici casu.

a. Quoad cessationem Vicarii Generalis.

67. Receptum erat apud canonistas [24], idque traditur a Benedicto XIV, quod « Cardinalis Vicarii iurisdictio ordinaria est, ideoque, etiam Apostolica Sede vacante, in suo vigore perseverat » [25]. Quamvis ratio allata omittatur [26], principium de perseverantia officii Cardinalis Vicarii, decedente Romano Pontifice, assumitur a S. Pio X in Constitutione *Vacante Sede Apostolica* diei 25 Dec. 1904: « Cardinalis in Urbe Vicarii officium et iurisdictio non exspirant morte Romani Pontificis » [27], idemque totidem verbis effertur etiam in Const. Pii XII

---

[24] « ... Officium Vicarii Papae ad vitam deputati, ut moris est, per illius obitum non exstinguatur ... » (Prosp. Fagnani, *In lib. I, De maiorit. et oboed.*, n. 69. *Commentaria in quinque libros Decretalium*, Venetiis 1774, vol. I, p. 627).

[25] *De synodo dioecesana*, lib. 2, c. 3, n. 2, in: *Opera Omnia*, vol. XI (Prati 1844) p. 24 b.

[26] Existimamus causam huius omissionis non esse quod ratio allata a Benedicto XIV sustineri non possit, sed quod magis expediret in Constitutione Apostolica praecipere simpliciter, nulla ratione praescripti data; vel fortasse etiam illa ratio omissa est ad vitandam quamdam primam admirationem, nam cum Vicarii Generales Episcoporum habeant quoque potestatem ordinariam (can. 198, § 1), et tamen desinant munere suo per mortem Episcopi (can. 371), mirum videri posset quod potestas ordinaria esset ratio cur Cardinalis Vicarius non cessaret munere suo, decedente Romano Pontifice. Longius esset persequi rationes huius discriminis, et, ad rem, utiliter conferri potest Fagnanus, *l. c.*, quem allegat quoque Benedictus XIV. At sufficiat notasse quod in Curia dioecesana Officialis, qui « unum constituit tribunal cum Episcopo loci » (can. 1573, § 2), et quidem « cum potestate *ordinaria* iudicandi » (§ 1); tamen, secus ac Vicarius Generalis, et una cum Vice-officialibus, « vacante sede a munere non cessant » (§ 5).

Notemus denique quod neque Vicesgerens — qui est Cardinalis Vicarii quasi Vicarius Generalis — cessat vacante Sede Apostolica (cf. art. 13).

[27] Pii X Pontificis Maximi *Acta*, vol. 3 (1906) p. 23.

Vacantis Apostolicae Sedis diei 8 Dec. 1945 [28]. Et quidem ratio principii ea ipsa videtur esse quae datur ab utroque Pontifice ad iustificandam concessionem eiusdem iurisdictionis Vicesgerenti Cardinalis Vicarii si hic, Apostolica Sede vacante, decedere contigerit, nempe, « ne Christifideles Urbis eiusque Districtus aliquod inde accipiant in spiritualibus detrimentum » [29].

68. Si veniamus ad *Codicem I. C.*, in can. 371 recensentur diversi modi quibus cessat Vicarii Generalis iurisdictio, et tertio loco dicitur exspirare per « sedis episcopalis vacationem ». At hoc praescriptum certo certius non afficit Cardinalem Vicarium Romani Pontificis qua Episcopi Urbis, non solum quia nulla habetur clausula derogatoria iuris privilegiati adeo perantiqui et insuper post *Codicem* confirmati, sed praesertim quia figura canonica Cardinalis Vicarii non aequiparatur figurae Vicarii Generalis, nam eam multum excedit tum praeeminentia, tum etiam iurisdictione, propterea quod Romanus Pontifex, tot curis Ecclesiae universalis distentus, plures facultates ei tradat, quam ex iure ordinario suis Vicariis Episcopi tradere solent [30]. Merito igitur haec superviventia in munere Cardinalis Vicarii sic refertur in S. R. art. 12:

> Vicariatus Officiis praesidet Cardinalis Vicarius, qui territorium sibi concreditum potestate ordinaria vicaria regit ... nec a munere suo cessat vacante Sede Apostolica.

b. Quoad ius conferendi baptismum quo pollent paroeciae.

69. Sollemne et antiquitate commendatum est quattuor [31] patriarchalium basilicarum Urbis privilegium bap-

---

[28] *A. A. S.* 38 (1946) 73.

[29] *Ib.*

[30] Ad rem faciunt, v. g., S. R. art. 179 et 482, ubi committuntur Cardinali Vicario quae in can. 492 et 1369, § 1 Episcopo reservantur.

[31] Relate ad numerum basilicarum patriarchalium in Urbe, aliqua legenti constitutiones synodales oboriri potest haesitatio vel dubietas ex eo quod in art. 63, § 2; 69, § 2, 4° et 376 quat-

tizandi quoslibet pueros et neophytos; quod egregie constat de Vaticana basilica S. Petri in Benedicti XIV Const. *Ad honorandam* diei 27 Mart. 1752, § 14:

---

tuor esse dicantur; in art. 620, § 1 autem quinque de facto numerentur.

Ad quod dubium tollendum indicare sufficiat numerum basilicarum efferri alium vel alium, prout alius vel alius est privilegiorum et officiorum complexus veluti communis ad quem attenditur. Itaque, v. g., ALEXANDER VII in Const. *Pastoralis officii*, d. 9 Apr. 1657, verba facit de quibusdam iuribus et oneribus, praesertim choralibus, « *trium* Ecclesiarum sive Basilicarum praedictarum », nempe, Lateranensis, Vaticanae et Liberianae (*Bullarium Romanum*, Aug. Taur., vol. 16, p. 271 a). Sed ut plurimum sermo est aut de *quattuor* basilicis patriarchalibus, scl. de tribus praefatis necnon et Ostiensi, quibus sunt propria et exclusiva plura privilegia, praeter ea recensita supra in S. R. art. 69, § 2, 4°, et 376, v. g., Portae sanctae et aliorum in Anno Sancto; aut de *quinque*, addita nempe basilica S. Laurentii « fuori le mura », quae sola cum illis quattuor titulo patriarchalis insignitur in Urbe. Ad rem G. MORONI: « In Roma tredici sono le chiese cui si competa il decoroso titolo di Basilica, cioè: s. Giovanni in Laterano, s. Pietro in Vaticano, s. Paolo nella via Ostiense, s. Maria Maggiore, s. Lorenzo fuori delle mura, s. Croce in Gerusalemme, s. Sebastiano, s. Maria in Trastevere, s. Lorenzo in Damaso, s. Maria in Cosmedin, i ss. dodici Apostoli, s. Pietro in Vinculis e s. Maria in Monte Santo ... Fra tutte queste le prime quattro sono le principali ed hanno anche la qualifica di patriarcali, perchè sono assegnate a' quattro patriarchi maggiori ... Veniva poi reguardata per quinta patriarchale la basilica di s. Lorenzo fuori delle mura, la cui residenza era devoluta al patriarca di Gerusalemme ». Et etiam: « ... tali basiliche patriarcali ... sono espresse nel seguente distico, che vuolsi composizione di Giovanni Cardinale di Piccardia:

Paulus, Virgo, Petro, Laurentius, atque Ioannes:
Hi patriarchatus nomen in Urbe tenent »

(*Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, vol. IV [Venezia 1540] p. 190 a; XI [1541] p. 262 b - 263 a. Cf. etiam S. MANY, *Praelectiones de locis sacris*, Parisiis 1904, p. 120 ss.).

In S. R. art. 32, § 1 est praeterea sermo de *septem* ecclesiis; nam, praeter alias pias exercitationes, commendatur « septem per Urbis aedes sacra peregrinatio » ad lucrandas indulgentias extra tempus Anni Sancti (cf. G. COSTANZI, *L'Osservatore di Roma*, Roma 1825, vol. II, p. 32 ss). Iam vero, hae septem ecclesiae sunt, praeter quinque illas patriarchales, Basilica S. Crucis et Basilica S. Sebastiani (cf. *ibid.* Etiam G. MORONI, *op. cit.*, vol. XII, Venezia 1541, p. 200 b - 201 a; BONA RENATO, *Le quattro, sette e nove chiese di Roma ...*, Roma 1698).

Baptismi vero Sacramentum in eadem Vaticana Basilica non solum Infantibus intra peculiares ipsius Parochiae fines in lucem editis; sed, ut superius innuimus [32], aliis etiam quibuslibet, tam in Urbe, quam extra illam natis (quorum quidem plurimos, ob venerationem Beatissimi Apostolorum Principis, a piis parentibus ad ipsius Ecclesiam baptizandos deferri constat) libere et licite administrari, tum veteri omnium ferme saeculorum usu et observantia receptum est; tum etiam in sacris Visitationibus, et praesertim in ea quam anno MDCXXV fel. rec. Urbanus Papa VIII in dicta Basilica peregit, ac praeterea iudiciali definitione Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die XV Maji anni MDCC edita, agnitum fuit, atque firmatum, et Nos demum hujus nostrae Constitutionis vigore id ipsum indubitanter atque perpetuo servari volumus, atque decernimus [33].

70. Tanto privilegio *Codex* minime detraxit per can. 738, § 2, ubi praescribitur ut quilibet « etiam peregrinus, a Parocho proprio in sua paroecia sollemniter baptizetur »; nec per can. 775, quo idipsum confirmatur, et adicitur ut sollemnis baptismus conferatur in ipsa ecclesia paroeciali aut in alia (intra ambitum paroeciae) quae iure fontis gaudeat, nisi obstet grave incommodum. Quamobrem illud perantiquum quattuor patriarchaliun basilicarum ius in S. R. art. 376 etiam assumitur:

Integra causa est quattuor patriarchalium basilicarum pueros vel neophytos Baptismatis sacramento initiare...

---

[32] Scl. in § 12: « ... in ea basilica, in qua et olim, ex praedictorum Romanorum Pontificum delegatione, Sacramentum Baptismi solemniter in Sabbato Sancto administratum fuisse constat, et nunc etiam, ex veteri approbataque consuetudine, de qua inferius verba faciemus, Baptismus idem omnibus indistincte, et quolibet anni tempore confertur ... ». (BENEDICTI XIV *Opera Omnia*, vol. XVII, Prati 1846, p. 366 b).

[33] *Ibid.*, p. 367 a. Pro allegatis a Benedicto XIV documentis conferri potest *Collectionis Bullarum ... Sacrosanctae Basilicae Vaticanae tomi tres*, Romae 1747-1752. Cf. praeterea R. BIDAGOR, *De iurisdictione Cardinalis Archipresbyteri Basilicae Vaticanae*, in: *Periodica* 48 (1959) 267-297, praes. p. 281 s.

c. Quoad ius Parochorum delegandi generaliter Vicarios cooperatores ad assistendum matrimoniis.

71. Sanctus Pius X, simul ac instauravit Vicariatus Urbis structuram per Const. *Etsi Nos,* diei 1 Ianuarii 1912 [34], hoc principium circa rerum tractationem statuit: « Vicariatus administri cavebunt ut communis iuris normae et laudabiles Urbis consuetudines retineantur » [35].

Iam vero, quoad rem matrimonialem attinet, tum principia *Codicis* et normae S. C. de Sacramentis, tum etiam illae *laudabiles Urbis consuetudines* collectae sunt in fasciculo cui titulus *Norme pratiche per la celebrazione del matrimonio* (Vicariato di Roma, 1957). Inter has consuetudines seu usus habetur quod delegatio generalis assistendi matrimoniis concedi solet sacerdotibus, qui sunt Vicarii cooperatores, non a Parochis, sed a Vicariatu, et quidem per documentum scriptum, quod eis traditur simul cum designatione pro tali munere a Cardinali Vicario facta et subsignata [36].

72. Post *Codicem,* etiamsi agnosceretur facultas quam can. 1096, § concedit Parochis, scl. delegandi generaliter proprios Vicarios cooperatores ad assistendum matrimo-

---

[34] *A. A. S.* 4 (1912) 5-22. Recenter G. Card. Ferretto primo edidit autographum S. Pii X continens schema instaurationis Vicariatus Urbis, exaratum a. 1907 (*Apollinaris* 25 [1952] 81-84. Descriptio codicis manuscripti habetur in p. 44, nota 3). Conferenti hoc autographum cum Const. « *Etsi Nos* » patebit arcta connexio quae habetur inter utrumque documentum. Pro *Vicariatu Urbis* cf. F. X. Wernz, *Ius Decretalium,* vol. II (Romae 1899) n. 679.

[35] *A. A. S.* 4 (1912) 10. Principium effertur in sectione consecrata disciplinae cleri saecularis et regularis; sed eius valor videtur clare latius patere.

[36] « Sono viceparroci ad normam iuris, in Roma, soltanto quei sacerdoti secolari o regolari, che abbiano avuto nomina scritta da S. E. il Cardinale Vicario. (Cf. can. 476, § 3-4). Generalmente con la nomina a viceparroco si concede in iscritto anche la delega generale per i matrimoni, la quale dovrà risultare presso l'Ufficio III del Vicariato ». (*Norme Pratiche,* p. 36, nota 5). Pro aequivalentia Viceparochi et Vicarii cooperatoris, cf. *ibid.* p. 36, n° 59.

niis [37], tamen vigebat in Urbe praefata consuetudo [38], quae sollemniter recepta est in S. R. art. 504:

> Secundum consuetudinem Romae vigentem, generalem ad assistendum Matrimoniis delegationem vicariis parochorum confert Vicariatus.

Uti patet, in hoc articulo siletur de facultate a *Codice* Parochis concessa, et ratio videtur esse quia, stante praefata consuetudine, non est locus eiusmodi facultatis Parochorum exercitio. Si tamen in aliquo casu Cardinalis Vicarius aliquem Sacerdotem designaret Vicarium cooperatorem quin ei concederetur delegatio generalis assistendi Matrimonii, non expediret ut Parochus, inconsulto Vicariatu, talem delegationem praedicto Sacerdoti concederet [39].

III. De iuris communis determinationibus.

73. Sub hac designatione *determinationum,* ut supra diximus, comprehendimus illa praescripta Synodi Romani, quae quamdam, ut plurimum leviorem, discrepantiam a iure communi prae se ferunt, non quia eidem derogent, sed quia ipsum determinant intra ambitum qui

---

[37] « ... e invece proibito concedere deleghe generali per l'assistenza dei matrimoni, eccetto al viceparroco nominato *ad normam iuris.* Tali deleghe sarebbero nulle ed i matrimoni invalidi ». (*Norme Pratiche,* p. 44, n° 75).

[38] Cf. supra, notam 36.

[39] Iuvat hic adicere aliam discrepantiam inter S. R. et *Codicem I. C.,* quae, propter eius tenuitatem, nimium esset si nomine derogationis designaretur, et tamen non est praetereunda, quia in luce ponit illum sensum humanitatis quo alias diximus Synodum esse imbutam.

Dum in can. 775, ut baptisma conferatur extra Ecclesiam habentem fontem baptismalem, requiritur *grave incommodum,* in art. 377 autem dicitur sufficere *iustam causam* ut administretur baptismus « in iis valetudinariis, quibus nullum est ius habendi fontem baptismalem ».

Aliquid simile habetur in art. 375, § 1 et 3, relate ad can. 738, § 2, et 775.

liberae facultati cuiusque Ordinarii permittitur. Attamen non has omnes discrepantias complectemur, sed tantum praecipuas indicabimus.

Inter eas imprimis recensendae sunt, quae continentur in paene omnibus articulis supra allegatis in utraque sectione primas Partis, v. g., in art. 529, § 1 (n. 21), 597 (n. 22-23), 738, § 1 (n. 6-7), etc. Dein speciale momentum habent tres determinationes quae sequuntur.

a. De frequentia qua Sacerdotes ad exercitia spiritualia et ad examen de sacris disciplinis tenentur.

74. In can. 126 praescribitur omnibus Sacerdotibus saecularibus, nulla facta distinctione inter recenter ordinatos et provectiores, ut saltem *tertio* quoque anno exercitiis spiritualibus vacent. At in S. R. art. 31, § 1 Neosacerdotibus iniungitur ut « per primum sacerdotii *quinquennium* quotannis » praefata exercitia peragant.

Similiter in art. 489 statuitur ut omnes Sacerdotes dioecesani quotannis « per primum post ordinationem *quinquennium* » examen de sacris disciplinis praebeant; dum iuxta can. 130, § 1 sat est ut « expleto studiorum curriculo ... examen singulis annis saltem per integrum *triennium* ... subeant » [40].

b. De licentia vel consilio omnino petendo ut clericus adire possit tribunal laicum.

75. Salvis certis casibus expressis in can. 139, § 3, clericis non prohibetur ex iure communi liber aditus ad iudicem laicum, sive qua actoribus, sive qua parti conventae vel qua testibus. Haec tamen libertas, propter bonae aedificationis rationes [41], restringitur in S. R.

---

[40] Animadvertatur *terminus a quo* alius esse in *Codice*, alius in Synodo; sed practice coincidunt, cum studia ut plurimum cum sacerdotio fere expleantur.

[41] En tibi hae rationes: « Interdum ex actione publica propriis iuribus defendendis tutandisque suscepta, ad ecclesiasticos viros quod spectat, facilius potest malum quam bonum exemplum oriri; ideoque, in quibusdam rerum adiunctis, omnino dehortanda videtur » (art. 39, § 1). Ad rem quoque facit art. 38: « § 1. Vir-

art. 39, ubi praescribitur ut clerici et religiosi [42] « se abstineant quominus, sine Cardinalis Vicarii licentia, qua actores, in Urbe adeant iudicium laicum » (§ 1); quodsi « apud laicalia tribunalia, vel ut partes conventae, vel ut testis citati fuerint, ab ecclesiasticis Moderatoribus, quibus ipsi subiciuntur, consilium petere ne omittant » (§ 4).

76. Duo sedulo notanda sunt. Primum est quod his praescriptis tenentur, praeter clericos individuos et religiosos, omnes ecclesiasticae personae morales « collegiales vel non collegiales, exemptae vel non exemptae, atque etiam coetus, quibus vel clerici vel religiosi moderantur, atque varii Actionis Catholicae ordines » (§ 1).

Alterum notandum versatur circa § 3, cuius ecce tenor:

> Episcopi in Urbe commorantes, Praelati exempti ceterique Ordinarii, de quibus in art. 9, § 2 [43], et coetus qui nulli moderatori « infra Romanum Pontificem » subiciuntur, hisce in rerum adiunctis, Sanctam Sedem adire eiusque datis normis obtemperare debent.

In hac paragrapho 3ª articuli 39, quem nunc commentamur, remittimur ad art. 9, in quo determinatur subiectum passivum constitutionum Synodi Romani. Hic quidem fit distinctio magni momenti: nam dum in § 1

---

tutis exemplum profecto edent ii ecclesiastici viri, qui Christi monito obsecuti, quod in precatione *Pater noster* continetur, acceptis contumeliis, data occasione, ignoscunt. § 2. Non tamen iisdem vetantur, sed etiam quandoque tenentur, obnitentem animum vehementius patefacere suamque dignitatem et iura coram iis tempestive defendere, qui ea publice conculcare audeant. Utcumque, hisce in rerum adiunctis, quaelibet contraria devitetur vis, ex qua casus exoriri possint indecori ».

[42] Etiam exempti, ut expresse asseritur in § 1.

[43] Ecce textus: « Praelati quoque Romani, qui ex apostolico privilegio ab Ordinariorum iurisdictione sunt exempti, Episcopi Romae commorantes, et omnes qui in iure nomine Ordinarii intelleguntur (cf. can. 198, § 1), synodalibus constitutionibus obsequantur ». Quinam sint illi *Praelati*, declaratur in nota, mutuata enumeratione ex Pii XI Const. « *Ad incrementum* », 15 aug. 1934, in: *A. A. S.* 26 (1934) 497-521.

sermo est de his qui subsunt Cardinalis Vicarii iurisdictioni, scl. de clericis, religiosis etc., et dicitur quod hi omnes constitutionibus synodalibus *tenentur;* in § 2 autem agitur de his qui ab Ordinariorum iurisdictione sunt exempti, v. g., certi Praelati Romani, etc., et dicitur quod « constitutionibus synodalibus *obsequantur* », non autem teneantur, quia ex hypothesi sunt extra iurisdictionem etiam Cardinalis Vicarii.

Iam vero, in art. 39, § 3, supra transcripta, fit sermo praecise de iis omnibus qui nulli Ordinario nullique moderatori infra Romanum Pontificem subsunt [44], quique proinde, iuxta art. 9, § 2, constitutionibus synodalibus non tenentur, sed eis dumtaxat obsequi rogantur; et tamen eisdem praecipitur, relate ad iudicia laica adeunda, quod « hisce in rerum adiunctis, Sanctam Sedem adire eiusque datis normis obtemperare debent ». In quo tamen nulla contradictio, nisi apparenter. Nam in casu non est Episcopus Romanus sed Summus Pontifex — cui praefati omnes immediate subiciuntur — qui tale praescriptum eis iniungit, usus quidem veluti instrumento non aliquo *Motu proprio,* sed hac Synodi Romani constitutione.

c. De admissione et loco primae Communionis.

77. Quoad *locum* in quo pueri primo Eucharistiam recipere possunt vel debent, nihil praescribitur in *Codice*; immo, neque suadetur ut prima Communio fiat in paroecia, sicut de Communione paschali suadetur (can.

---

[44] Hi « coetus, qui nulli moderatori 'infra Romanum Pontificem' subiciuntur » videntur esse imprimis Sacrum Collegium Patrum Cardinalium, dein illa quattuor Collegia Praelaticia quae in allegata modo Constitutione Pii XI recensentur: Protonotarii Apostolici de numero Participantes, Praelati Auditores Sacrae Romanae Rotae, Praelati Clerici Reverendae Camerae Apostolicae, Praelati Votantes ac Referendarii Signaturae Apostolicae. Pro diversis Collegiis Curiae Romanae in genere, cf. P. C. Van Lierde, *Dietro il Portone di Bronzo. Il governo centrale della Chiesa, oggi,* Roma 1961, p. 283 s.

859, § 3). Sunt tamen aliqui canonistae qui id suadent [45]; et hoc ipsum suadet quoque S. R. in art. 422, § 1, cohaerenter cum alibi dictis circa momentum institutionis paroecialis (art. 100):

> Prima divinae Eucharistiae receptio in sua cuiusque paroecia fiat, cum res agatur tanti momenti et ponderis in vita christiana. Quodsi alibi loci fiat, parochus debite doceatur.

Quod agatur de mero optatu seu exhortatione — utique « cum obsequio et plena ac sincera animi docilitate accipienda » (art. 5, § 2) — videtur nobis constare tum ex absentia vocis praeceptivae, tum ex praesentia alterius commatis: « Quodsi alibi ... », et quidem sine ulla clausula indicante naturam incommodi vel causae quae a recipienda SS. Eucharistia in paroecia excusaret [46].

78. Quaestio de *admissione* puerorum primo ad Sacram Mensam utique tangitur a *Codice*. In can. 854, § 5 statuitur ius et officium Parochorum advigilandi « ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur ». De partibus confessarii et parentum in diiudicanda puerorum dispositione est dispositio notissima in § 4: « De sufficiente puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt ».

---

45 E. c., E. F. Regatillo: « Utique optandum est ut prima communio, quoad fieri possit, in propria ecclesia paroeciali recipiatur » (*Ius Sacramentarium*, Santander ³1960, n. 399). De indole familiari ac paroeciali primae communionis, cf. J. V. Urbain, *The Easter Cycle and First Communion*, in: *Worship* 33 (1958/59) 305-312. Hic etiam est sermo de tempore liturgico aptiori pro prima communione; et J. P. Kenny suadet ut eidem confirmatio adiungatur, *The age for Confirmation*, etiam in: *Worship* 35 (1960/61) 4-14.

46 Ubi agitur de vero praescripto, non solet fieri mentio de exceptione nisi additis clausulis: « iusta de causa », aut similibus. Cf. art. 375. 377 etc.

In interpretanda hac § 4 canonistae abeunt in diversas opiniones. Aliqui enim ita videntur premere partes quae hac in re tribuuntur Confessario ac parentibus, quasi Parochis solum competeret ius vigilandi de quo supra, non vero facultas admittendi [47]. Alii autem e converso ita premunt ius advigilandi Parochorum, ut practice adimatur Confessario et parentibus facultas iudicandi de dispositione puerorum quam eis concedit *Codex* [48]. Alii tandem medium tenent, agnoscentes tum in Parochis, tum in Confessario et parentibus facultatem iudicandi de dispositione puerorum eosque ad mensam Eucharisticam primo admittere [49]. Verumtamen non obstante hac diversitate quoad cuiusque facultatem stabiliendam, omnes fere auctores uno ore commendant ut, hac in re, quantum fieri poterit, Confessarii et parentes cum Parocho unanimiter procedant [50].

S. R. in art. cit. § 2 recipit tum illam opinionem mediam de facultate cumulativa, tum hoc mutuae intelligentiae desiderium:

> Quamquam non est unius Parochi iudicare utrum pueri idonei et apti sint, qui ad mensam Eucharisticam primo accedant, eosque admittere, tamen nonnisi consiliis in vicem cum eo communicatis, consensuque eius plene habito res agatur (cf. can. 854, § 4 et 5).

---

[47] Sic, v. g., E. F. REGATILLO: « Ad parochum, ut talem, solum pertinet *vigilantia* ... ». (*Op. cit.*, n. 338). Cf. etiam WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, vol. IV, Romae 1934, p. 133, n. 106.

[48] Huius opinionis videtur esse F. GREGORI: « In conclusione il fanciullo non può essere ritenuto idoneo alla Comunione, sia per sufficiente uso della ragione, sia per sufficienti disposizioni di mente e di volontà, se tale giudizio — da chiunque sia emesso — non è ratificato dal Parroco » (*Perfice Munus* 1 [1926] 391). Ante *Codicem* sustinebant hanc opinionem WERNZ, *Ius Decretalium*, vol. II (Romae 1909) n. 830; SEBASTIANELLI, *Praelectiones Iuris Canonici*, vol. I (Romae 1897) p. 304.

[49] Cf. praesertim F. CAPPELLO, *De sacramentis*, vol. I, Romae [6]1953, n. 499 ss.

[50] Sufficiat haec verba E. F. REGATILLO allegasse: « In conflictu inter iudicium illorum (scl. confessarii et parentum) et parochi, suadendum ut illi iudicio Parochi stent, ut fieri solet; at stricta obligatio non est » (*op. cit.* n. 339).

IV. De praecedentium derogationum ac determinationum finalitate.

79. Iuvat claudere hanc alteram partem contemplando diversos fines quos legislator synodalis videtur habuisse in supra indicatis derogationibus et determinationibus decernendis.

Iam vero, hi fines vel causae quattuor esse deprehenduntur: Gloria Dei, salus animarum, sacerdotii decus, dioecesis Romanae splendor ac bona gubernatio.

1° Et ante omnia elucet *finalitas gloriae divinae*, ad quam directe pertinent omnes determinationes, quas studio in prima sectione primae Partis subiecimus, quaeque versantur praesertim in locorum sacrorum artistica ac congruenti constructione (n. 8-14) [51], in eorumdem dedicatione (n. 21-23), decore (n. 25-32) ac custodia (n. 34).

2° Post divinam gloriam, nihil sanctius legislatori quam *animarum sibi commissarum salutem efficaciter procurare*. Itaque, ut eisdem sufficiens operariorum numerus suppetat, exemptioni religiosorum (n. 60), et aliis legibus ac privilegiis derogat (n. 53. 58). Etiam legem *Codicis* accurate complet ad praecavendum detrimentum aedificationis spiritualis quod fidelibus ac reliquis in Urbe civibus ex inconsulto accessu clericorum cuiuslibet gradus ad tribunal laicum obvenire posset (n. 75. 82).

Sed, inter omnes fideles, singulari modo Romani Pontificis sollicitudinem sibi conciliarunt christiani orientales, extra communitatem proprii ritus in territorio Vicariatus Urbis commorantes, et infirmi nosocomiorum; in quorum commodum derogat nonnullis legibus, sive orientalibus (n. 57), sive latinis (n. 54). Specialem curam etiam habet legislator de animabus fidelium defunctorum suffragiis adiuvandis, necnon de eorum propinquis, quos in tam maestis adiunctis et solari et spiritualiter adiuvare satagit (n. 38-46. 65).

---

51 Citantur numeri marginales huius dissertationis.

Nec inter haec supernaturalia officia negligit complere quae in *Codice* statuuntur circa Ecclesiae inservientium oeconomicam retributionem (n. 34).

3° *Vigilans ac paternus affectus, quo Vicarius Christi clerum prosequitur,* inspiravit tum illam maiorem frequentiam, qua neosacerdotes exercitia spiritualia peragere et disciplinarum ecclesiasticarum examen subire debent (n. 74), tum praescripta quae, certis in casibus, omnes Ordinarios afficiunt, in bonum suorum clericorum Romae degentium (n. 82).

Magnum quoque amorem significat illa interpretatio can. 854 (n. 78), de prima puerorum communione, quae confessorum concordiam cum Parochis fovet; sicut etiam illa derogatio iuris Ordinariorum in favorem sacerdotum qui Romae examen ad obtinendas licentias concionandi vel confessiones audiendi subierunt (n. 63. 82), quae utinam fieret norma reciproca inter omnes dioeceses, sive inter se, sive etiam cum dioec. Romana.

4° Reliquae, denique, determinationes vel derogationes ad *peculiarem indolem dioecesis Romanae* spectant. Nam imprimis consulendum erat tam praeexcellentis dioecesis decori, perantiqua eiusdem privilegia ac consuetudines confirmando (n. 67-72).

Ratio autem bonae gubernationis postulabat, cum tantus sit numerus clericorum ac religiosorum Romae degentium, ut consuetus canonicus modus incardinationis restringeretur in dioecesi Romana (n. 52), et privilegium, quo pollent regulares mendicantes eleemosynas efflagitandi, coarctaretur (n. 56).

Pars tertia

DE CONSTITUTIONUM SYNODALIUM EXTENSIONE

I. De principio quo haec quaestio regitur.

80. Quaestio de extensione seu de ambitu constitutionum synodalium, separatis articulis pertractatur in S. R., prout agatur de constitutionibus mere dispositivis vel de derogatoriis. Attamen principium quod in eisdem effertur est unum idemque, ac fere eisdem verbis exprimitur, ut ex articulorum collatione patet:

Art. 9, § 1.	*Art. 3, § 2.*
Huius Synodi constitutiones ... intra dioecesis dumtaxat territorium vim habent, modo aliud diserte non pateat.	Si quid de generalibus Ecclesiae legibus vel de privilegiis et exemptionibus hac Sinodo immutatur aut emendatur, in Romana tantum dioecesi vim habet, nisi aliud expresse caveatur.

Ergo constitutiones synodales, sive mere dispositivae, sive etiam derogatoriae sint, solum valent intra dioecesim Romanam, nisi aliud clare constet.

II. De dioecesis Romanae territorio.

81. Iam vero, « Romanae dioecesis fines complectuntur territorium Vicariatus Urbis et Civitatis Vaticanae » (art. 11, § 1) [52]. Cum autem Civitas Vaticana proprium

---

52 Consequenter dicenda est pleonastica locutio Const. « *Sollicitudo omnium ecclesiarum* »: « ... ut eae [constitutiones synodales] hoc anno a die primo proximi mensis Novembris in universa Romana dioecesi, in Basilica Petriana atque in Civitate Vaticana vim obligandi habere incipiant » (*Prima Synodus Romana,*

Vicarium Generalem obtineat (§ 3), sequitur quod est locus dioecesis Romanae exemptus a iurisdictione Cardinalis Vicarii. Aliquid simile dicendum de Basilica et Canonica S. Petri, quae, « iuxta veteres earumdem Constitutiones adhuc vigentes, a Cardinali Archipresbytero reguntur » (ib.), ac proinde ab utriusque Vicarii iurisdictione sunt exemptae. Porro, de locis dioecesis Romanae exemptis a iurisdictione Cardinalis Vicarii — subiectis tamen, ut obvium est, synodalibus constitutionibus — sermo occurrit in artt. 63 § 2 et 74 § 1, ut statim dicemus.

III. Constitutionum extra dioec. Rom. vim habentium catalogus.

82. His praemissis, reliquum est ut exhibeamus brevi catalogo omnes constitutiones sive mere dispositivas sive derogatorias, quae vim obtinent extra territorium dioecesis Romanae, aut afficiunt personas, versantes quidem intra eius territorium, attamen ab utriusque Vicarii iurisdictione exemptas. Sic demum constabit quanta sit extensio seu ambitus Synodi Romani.

A. *Constitutiones mere dispositivae*:

Art. 37, § *4.* Obligat omnes *clericos et religiosos in tota Italia*: « In locis, intra italicos fines, ubi pueri vel adulescentes simul rusticantur — qui a *coloniis* et *campis* nomen trahunt — clerici et religiosi talarem vestem induere tenentur. In itineribus autem ad exteras regiones et in montanis ascensibus recepti locorum ecclesiastici mores serventur ».

Art. 51, § *1 et 5; 52,* § *4.* Indirecte obligant *omnes Ordinarios,* ut, certis in casibus, suis clericis determinatas facultates, v. g., discedendi ad tempus a propria dioecesi, scripto dedant.

---

p. XVI); nam, iuxta art. 11, tum Basilica Petriana, tum Civitas Vaticana, sunt partes dioecesis Romanae.

Art. 53, § *4.* Etiam duplici modo *omnes Ordinarios* afficit, scl quatenus disiunctive eos obligat ad relaxandam facultatem certis suis clericis Romam degentibus, qui feriarum tempore ad alias regiones ultra duas hebdomadas contendere velint; et quatenus meminit eosdem esse incompetentes ad concedendam facultatem ut iidem ad exteras transmarinas regiones migrent [53].

Art. 39, § *3.* Prohibitio se sistendi in Urbe coram iudice laico afficit quoque *personas exemptas* a iurisdictione Cardinalis Vicarii, *quae intra territorium dioecesis Romanae commorantur* (cf. supra, n. 75).

Art. 63, § *2; 74,* § *1.* Licentiae ad audiendas Confessiones vel ad concionandum concessae a Cardinali Vicario valent *etiam in locis dioecesis Romanae quae eiusdem Cardinalis iurisdictioni non sunt obnoxia,* de consensu legitimorum Antistitum.

B. *Constitutiones derogatoriae*:

Art. 72 et 74, § *2.* Derogant aliquo modo iuri *omnium Ordinariorum* adigendi ad examen illos sacerdotes qui licentias ministeriale obtinere cupiunt. (cf. supra, n. 63).

Art. 413. Imminuit capacitatem *Ordinariorum omnium* ad recipienda sub exitum anni determinata onera Missarum a suis subditis non expleta (cf. supra, n. 65).

Ignatius Gordon, S. I.

---

[53] Haec facultas reservata est S. C. Consistoriali per Const. Pii XII « *Exsul familia* » 1 Aug. 1952, normis 3ª et 5ª. (*A.A.S.* 44 [1952] 693 s).

APPENDIX

Ut facile quilibet possit invenire sive articulos *S. R.* prout canones *C. I. C.* afficiunt sive canones prout ab articulis afficiuntur, duas tabulas sequentes adornavimus.

Unaquaeque tabula comprehendit quinque columnas. Hae autem columnae in TABULA 1ª continent a sinistra ad dextram: *Articulos S. R.* — *Canones C. I. C.* correlativos. — *Qualitatem* seu modum quo canones afficiuntur a respectivis articulis, si afficiantur. — *Paginam,* — ac denique *Numerum marginalem* dissertationis, apud quem citati articuli et canones inveniuntur, sive in textu (v. g., 20), sive in nota (v. g., 20 nt), sive utrobique (v. g., 20 et nt).

In TABULA 2ª *canones* obtinent primam columnam, *articuli* alteram; reliquae tres manent ut in tabula 1ª.

Complementi causa in utraque tabula adicimus, praeter articulos et canones correlativos, illos articulos in 1ª et illos canones in 2ª, qui in decursu dissertationis simpliciter allegantur.

Sigla adhibita ad indicandam qualitatem sic resolvuntur (iuxta indicata supra, sub n. 49 et 82):

d = *derogatio* propria, intra dioecesim Romanam.
di = *derogatio impropria,* intra dioec. Romanam.
dt = *determinatio* iuris communis, intra dioec. Rom.
DE = *derogatio* propria vim exserens etiam *extra* dioecesim Rom.
PE = *praescriptum* simplex vim exserens etiam *extra* dioecesim Rom.

I[a] TABULA

Articuli S. R. prout afficiunt canones C. I. C.

ARTICULI	CANONES	QUALITAS	PAGINA	NUM. MARG.
1	—	—	369	47
3	—	—	369. 370	47s
3, § 1	—	—	267. 268	1 nt; 4 nt
3, § 2	—	—	268. 399	4 nt; 80
9	—	—	393	76
9, § 1	—	—	267. 268	1 nt; 4 nt
9, § 1	—	—	399	80
9, § 1, 2°	—	—	379	61 nt
10	94, § 1	—	377	57 nt
10c	—	—	376	57
11	—	—	377. 399	57 nt; 81
12	371	di	386s	67s
21b	114	d	371	52
26, § 3; 27, § 2	—	—	371	50 nt
31, § 1	126	dt	392	74
32, §	—	—	388	69 nt
32, § 2	—	—	307	46
37, § 4	—	PE	400	82
38, § 1	—	—	392	75 nt
39	139, § 3	dt	392s	75s
39, § 3	—	PE	400	82
42, § 3	1386	d	377	58
47	615	d	378s	60s
49	608, § 1	—	380	62
51, § 1-5	—	PE	400	82
52, § 4	—	PE	400	82
53, § 4	—	PE	400	82
56	822, § 2-3	d	371	53
56	1195	d	371	53
61	—	—	371	50 nt
63, § 2	—	—	387	69 nt
63, § 2	—	—	399-400	81s
69, § 2, 4°	—	—	38	69 nt
72	877	DE	381. 400	63. 82
74, § 1	—	—	399-400	81s
74, § 2	1340, § 1	DE	381. 400	63. 82
100	—	—	394	77
116, § 1	—	—	301	39

ARTICULI	CANONES	QUALITAS	PAGINA	NUM. MARG.
116, § 2	—	—	306s	45 et nt
125	—	—	307	45 nt
129	1524	dt	297	34
147, § 1	—	—	307	45 nt
154	462	d	372-374	54s
154	1020	d	372-374	54s
154	1043	d	372-374	54s
154, 1°	774, § 2	dt	374	55
154, 7°	—	—	303	42
154, 7°	462, 5°	d	374	55
154, 7°	1222	d	374	55
155	777	d	374	55
155	798	d	374	55
155, § 1	—	—	374	55 nt
155, § 3	—	—	374	55
171	497, § 1	—	381	64
171, § 4	615	d	384	64 nt
172	608, § 1	—	380	62
176, § 1, 1°	621, § 1	d	375	56
179	492	—	387	68 nt
179	492, § 1	dt	384	64 nt
180	497, § 1	—	381	43
182	615	d	384	64 nt
198, § 1	—	—	381	64
205, § 2	—	—	370. 384	49. 64 nt
271	1211	dt	304-307	44s
296	1385	—	377	58
303, § 1; 324	—	—	307	45 nt
331, 1°; 353	—	—	307	45 nt
375	—	—	395	77 nt
375, § 1. 3	738, § 2	dt	391	72 nt
375, § 1. 3	775	dt	391	72 nt
376	775	di	387-389	69-70
376	738, § 2	di	387-389	69-70
376	—	—	387	69 nt
377	775	dt	391	72 nt
377	—	—	395	77 nt
413	841	DE	384. 400	65 et nt; 82
422	854, § 4-5	dt	394s	77-78
478	—	—	307	45 nt
482	1369, § 1	—	387	68 nt
489	130, § 1	dt	392	74
504	1096, § 1	di	390	72
520, § 2	—	—	301	39
525	1262, § 2	dt	290s	27 et nt
526	1268, § 2	dt	280	13

ARTICULI	CANONES	QUALITAS	PAGINA	NUM. MARG.
529, § 1	1274, § 1	dt	287. 391	21. 73
546	—	—	282	16
546, § 3	1178	dt	289. 292	25 coll. 29
561-565	—	—	298	35-37
574. 575, 5°	—	—	299	36 et nt
588, § 1	—	—	279	11
590	—	—	279	11
590	1268, § 2	dt	280	13
596	1163	dt	288	23
597, § 1	1188, § 1	dt	285. 391	20s. 73
597, § 1	1192. 1195 s	dt	285. 391	20s. 73
597, § 2	1167	dt	288	24
597, § 2-3	1165, § 1; 3	dt	287	22
598, § 1	—	—	275	9
600	—	—	282	15
603	1265, § 1	dt	297	34
604	1178	dt	289. 291	25 coll. 29
605, § 2	1235, § 2	dt	301s	40s
607	1178	dt	289-290	25s
608	—	—	283	17
609	—	—	281	14
609	1178	dt	289. 280	25s coll. 14
611	—	—	282	15
612	1178	dt	289. 295	25 coll. 32
613s	—	—	284	18
614, § 2	—	—	285	19
615	1178	dt	289. 294	25 coll. 32
616s	—	—	285	19
618	1197, § 1	dt	278	11
618, § 2, 3°	—	—	279	12
619	—	—	283	17
620, § 1	—	—	388	69 nt
622	—	—	307	46
622, § 2	—	—	300	38
626, § 1	—	—	281	14
709	—	—	307	45 nt
738, § 1	1162, § 2	dt	270s. 391	6-7. 73
739	1164, § 1	dt	271	8
747s	1524	dt	297	34

II^{a} TABULA

Canones C. I. C. prout afficiuntur articulis R. S.

CANONES	ARTICULI	QUALITAS	PAGINA	NUM. MARG.
22	—	—	370	48 nt
94, § 1	—	—	385	65 nt
94, § 1	10	—	377	57 nt
114	21b	d	371	52
126	31, § 1	dt	392	74
130, § 1	489	dt	392	74
139, § 3	39	dt	392s	75s
239, § 1, n. 7	—	—	372	53 nt
294, § 1	—	—	372	53 nt
308	—	—	372	53 nt
315	—	—	372	53 nt
323, § 1	—	—	372	53 nt
349, § 1, n. 1	—	—	372	53 nt
371	12	di	386s	67s
462	154	di	372-374	54s
462, 5°	154, 7°	d	374	55
476, § 3-4	—	—	390	71 nt
492	179	—	387	68 nt
492, § 1	179	dt	384	64 nt
497, § 1	171. 180	—	381	64
608, § 1	—	—	378	60
608, § 1	49. 172	—	380	62
609, § 3	—	—	378	60
615	47	d	378s	60s
615	171, § 4	d	384	64 nt
615	182	d	384	64 nt
621, § 1	176, § 1, 1°	d	375	56
738, § 2	375, § 1. 3	dt	391	72 nt
738, § 2	376	di	387-389	69s
774, § 2	154, 1°	dt	374	55
775	375, § 1. 3	dt	391	72 nt
775	376	di	387-389	69s
775	377	dt	391	72 nt
777	155	d	374	55
798	155	d	374	55
822, § 2-3	56	d	371	53
841	413	DE	384. 400	65 et nt; 82
854, § 4-5	422	dt	394s	77s

CANONES	ARTICULI	QUALITAS	PAGINA	NUM. MARG.
859, § 3	—	—	394	77
877	72	DE	381. 400	63. 82
1020	154	d	372-374	54s
1043	154	d	372-374	54s
1096, § 1	504	di	390	72
1154	—	—	285	20 et nt
1162, § 2	738, § 1	dt	270s. 391	6s. 73
1163	596	dt	288	23
1164, § 1	—	—	270	6
1164, § 1	739	dt	271	8
1165, § 1. 3	597, § 2-3	dt	287	22
1167	597, § 2	dt	288	24
1178	546, § 3; 604	dt	289. 291	25; cf. 29
1178	607	dt	289s	25s
1178	609	dt	289. 280	25s; cf. 14
1178	612. 615	dt	289. 294	25; cf. 32
1185	—	—	296	33 et nt
1188, § 1	597, § 1	dt	285. 391	20s. 13
1192	597, § 1	dt	285. 391	20s. 13
1195	56	d	371	53
1195s	597, § 1	dt	285. 391	20s. 13
1197, § 1	618	dt	278	11
1211	271	dt	304-307	44s
1222	154, 7°	d	374	55
1234, § 2	—	—	301	40
1235, § 2	605, § 2	dt	301s	40s
1262, § 2	525	dt	290s	27 et nt
1265, § 1	603	dt	297	34
1268, § 2	526. 590	dt	280	13
1268, § 4	—	—	276	10
1269, § 2	—	—	276	10
1274, § 1	529, § 1	dt	287. 391	21. 73
1279	—	—	276	10
1334	—	—	378	60
1340, § 1	74, § 2	DE	381. 400	63. 82
1345	—	—	378	60
1369, § 1	482	—	367	68 nt
1385	296	—	377	58
1386	42, § 3	d	377	58
1524	129; 747s	dt	297	34

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS IN DUBIO FACTI

Vi can. 15 « in dubio facti potest Ordinarius in legibus etiam irritantibus et inhabilitantibus dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet ». Id etiam ad ius matrimoniale adplicari omnes admittunt canonistae, merito quidem; nam leges sacramentum matrimonii respicientes quoque, quantumvis irritantibus seu inhabilitantibus adnumerandae, quandoque dubium sive iuris sive facti patiuntur. At non tam clarum est, quibusnam condicionibus verificatis Ordinarius facultate de qua sermo uti possit, ad quasnam leges matrimoniales ipsa referatur quaeque sit dispensationis huiusmodi qualitas iuridica, Cum in commentariis ad *Codicem Iuris Canonici,* ne illis summi valoris quidem exceptis, profundior de hac materia disquisitio plerumque frustra quaeratur, haud profecto inane superfluumque erit propositum nostrum, quaestionem practicam de dispensationibus matrimonialibus ad tramitem can. 15 elargiri valentibus analysi theoretico-practicae subiciendi.

I.

Agendum est imprimis *de subiecto activo* illarum. Licet verba can. 15 Ordinarios cum territoriales tum personales includant, censemus nihilominus in ordine ad leges matrimoniales nonnisi *Ordinarios locorum* qui can. 198, §§ 1-2, enumerantur[1] intelligi debere. Matrimo-

[1] Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus « nullius », Administrator Apostolicus permanenter constitutus horumque Vicarius Generalis; Administrator Apostolicus transienter constitutus; Coadiutor Episcopo inhabili datus; Vicarius ac Praefectus Apostolici eorumque Vicarius delegatus; Capitulum ecclesiae cathedra-

nium enim est negotium iurisdictioni territoriali obnoxium, in quo Superior maior religionis clericalis exemptae nullas prorsus partes habere potest — ne mediate quidem, quia (ut infra fusius demonstrabimus) dispensationem super professione religiosa neque vi can. 15, in casu nempe dubii facti, ipse concedere potest. E contra Vicarii Apostolici Castrenses, in quantum ad normam iuris specialis quoad matrimonia iurisdictione cum illa Ordinariorum locorum concurrenti pollent, quamvis per se Ordinarii personales tantum, item can. 15 comprehenduntur.

Ad *subiectum passivum* huiusmodi dispensationis autem quod adtinet, sat paucis contenti esse possumus. Cum dubium sive iuris sive facti post contractum matrimonium emergens non attendatur — matrimonium enim (immo quandoque et species eiusdem) favore iuris gaudet ac pro valido habetur, donec de nullitate eiusdem ad normam iuris constet (can. 1014) —, certum est nonnisi *nupturientes* seu matrimonium contracturos illos esse quibuscum vi can. 15 super aliqua lege matrimoniali dispensari queat. Item coniuges separari cupientes excluduntur. Separatio a thoro et mensa enim nihil aliud est quam dispensatio a lege can. 1128 promulgata. Hanc tamen Ordinarius loci ex iusta causa concedere potest (can. 1131, § 1). Dubium facti in hac materia aequiparandum esset dubio de exsistentia causae ad concedendam dispensationem praerequisitae, quod tamen validae licitaeque concessioni minime obstat (can. 84, § 2). Ordinario ergo facultate de qua can. 15 opus non est. In ordine ad matrimonium contrahendum vero potestas de qua agitur in foro externo aeque ac in foro interno, eoque sive sacramentali sive extra-sacramentali, exerceri potest, cum lex illam non ad alterutrum limitet (can. 202, § 3). An Ordinarius loci in favorem etiam pere-

---

lis vacante seu impedita sede (can. 431, § 1); Vicarius Capitularis; Pro-Vicarius et Pro-Praefectus Apostolici; coetus consultorum dioecesanorum et Administrator ab eodem electus vel a Metropolita nominatus.

grinorum ea uti possit, consulto omittimus dirimere; haec enim quaestio scopum nostrae disquisitionis excedit.

Obiectum cuiusque dispensationis in materia matrimoniali vi can. 15 elargitae est lex quaedam canonica ad sacramentum matrimonii spectans (obi. materiale), sicubi facti species ad quam lex illa referatur dubia remanserit (obi. formale). Antequam ad singulas leges procedamus, iuvabit quaedam de obiecto formali *quo* huiusmodi dispensationum, seu de dubio facti in genere recolere. In propatulo est per dubium intelligi debere « statum mentis inter duas sententias (propositiones) contradictorias, pro quarum unaquaque rationes ferme aequales militent, eligere non valentis ideoque iudicium suspendentis ». Hoc est dubium obiectivum, ab illo mere subiectivo quod nomine potius scrupuli venit, distinctum. Attende tamen obiectivitatem dubii hic sensu technico sumi, cum in rerum natura factum dubium non exsistat; ens enim et verum iuxta adagium philosophiae aristotelico-thomisticae convertuntur. Omne reapse dubium est subiectivum quid, status nempe mentis huius illiusve hominis, fit tamen obiectivum eo sensu, quod fundamentum in re habet. Facti species certe aliqualiter se habet, dubia est sola cognitio quam mens huius illiusve hominis de ipsa acquirere valet. Nomen dubii obiectivi idcirco illud tantum meretur quod pensatis omnibus rationibus moraliter insuperabile manet. Quod sane philosophice dictum est; nam in ordine ad matrimonium dubia quantumvis invincibilia solvi postulant. Stante dubio ad celebrandum matrimonium nequaquam procedendum est; in materia sacramentorum enim tutius est eligendum. At nimium esset quempiam a connubio arceri ob legem quoad facti speciem dubiam. Nihil ergo superest nisi ut ad facilitandam dispensationem refugium pateat. Hoc ipsum can. 15 intenditur. Mens autem legis non est probabilitatem requiri. Casus ergo can. 15 praevisus aderit nullo habito respectu ad id, utrum probabilius sit facti speciem sub lege comprehendi an non, dummodo rationes ab una et ab altera parte vere adsint, exclusis rationibus fictis inventisque.

Cum vero dubium necessario subiectivum quid sit, exsurgit quaestio, quisnam *subiectum* huiuscemodi *dubii* sit. Quisnam de lege seu potius de adimplemento condicionum in eadem requisitarum dubitare debeat ut can. 15 locum habeat? Alterutra pars nupturientium? An potius parochus sensu can. 1094 resp. 1020, § 1? An ipse Ordinarius loci cuius examini casus subicitur? Respondendum censemus subiectum dubii de quo sermo in fine finali esse *Ordinarium loci* ad quem can. 15 verba habeat. Si ipse dubium superare nequeat, canone 15 utetur, alioquin autem declarabit nihil celebrationi matrimonii obstare aut legem in casu sustineri. Hoc etiam sequitur — ut scite animadvertit cl.mus L. Bender — ex *responsione Pontificiae Commissionis ad Codicis Canones authentice interpretandos* die 21 martii 1921 data [2].

Ad *obiectum* tandem *dubii* de quo sermo quod adtinet, id duplex esse poterit. Casus enim dubii circa exsistentiam alicuius facti lege praesuppositi differt ab illo, utrum factum istud valide exsistat. De quo ad singula huius disquisitionis capita plura dicemus.

II.

Nunc iam ad *singula dispensationis de qua sermo obiecta,* seu ad leges super quibus ad normam can. 15 dispensari potest, veniamus. De tribus hic agendum erit: de dubio facti relate (*1.*) ad iusiurandum quo quis alicui nubere promisit, deinde (*2.*) ad impedimenta matrimonialia ac tandem (*3.*) ad legem formae canonicae celebrationis matrimonii.

(*1.*) Indubitati iuris est sponsalia ad mentem canonis 1017 facta, quamvis iureiurando firmata (cf. can. 1318, § 1), ab ipsismet sponsis seu etiam alterutro eorum ex qualibet iusta causa dissolvi posse, neque ex illis obligationem iuridicam matrimonium promissum con-

[2] *A.A.S.* 13 (1921) 178. Cf. L. Bender, *Dispensatio in impedimento dubio,* in: *Ephemerides Iuris Canonici* 8 (1952) 78.

trahendi deduci valere. In dubio de exsistentia seu sufficientia causae Ordinarius loci ad normam can. 84, § 2, declarare poterit promissionem vi carere, quin facultate can. 15 sibi tributa utatur. Absente omnino causa sponsalia a Romano Pontifice tantum rescindi posse remur.

Quid tamen faciendum, si quis *citra sponsalia* ad normam can. 1017 facta *iuramento* semet obligaverit certae cuidam personae nubendi? Obligatio iuridica aut irritatio negotii huiusmodi iureiurando oppositi certe non exsurgit. At si is, cui nupturiens sub sacramento iuramenti promisit se eidem nubere, obligationem remittere recuset, iurans matrimonium cum alia, tertia, persona ineundo (nisi can. 1319, n. 2°-3°, excusetur) crimine periurii se commaculabit. Cui delicto Ecclesia ex gravissimis tantum causis cooperari posset, celebrationem nempe matrimonii permittendo. Quae si desiderentur, ad Apostolicam Sedem recurrendum esset (can. 1320). Salva meliore sententia opinamur tamen in casu dubii facti, sicubi scl. invincibiliter dubitetur, an iusiurandum praestitum seu valide praestitum sit, posse Ordinarium loci « propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae » super huiusmodi iuramento dispensare. Neque dicas adimplementum iuramenti de quo sermo ad normam can. 1312, § 2, suspendi posse; haudquaquam enim de praeiudicio tertiae illi personae allato agitur, cum nemini strictum ius competat ad matrimonium cum persona a se electa, quantumvis amata, seclusis omnibus aliis alterius sexus hominibus, contrahendum.

(*2.*) Dubium facti *impedimenta matrimonialia* quoque adficere potest, immo hic casus crebro sane continget. In impedimentis certis Ordinarius iure proprio per se nunquam dispensare valet, per accidens et mediate tantum in voto condicionato perfectae castitatis ac ingrediendi religionem votorum sollemnium (can. 1309 et 1313, n. 1°). Cetera impedimenta omnia a Sede Apostolica seu ab eiusdem Delegato tantum relaxari possunt (can. 104). Subintellige: impedimenta certa. Vi can. 15 enim Ordinarii ab impedimentis dubio facti dubiis et dispensabilibus dispensationem elargiri possunt. Quae-

rendum ergo restat, ad quaenam impedimenta can. 15 adplicari valeat.

In *votis simplicibus Sedi Apostolicae reservatis* ac in *professione sollemni religiosa* duplex subesse poterit dubium facti: an scl. votum emissum sit et an valide emissum sit. Consequenter distinguendum est: Si de voto simplici Sedi Apostolicae reservato agatur, censemus Ordinarium loci in utroque casu invocare posse can. 15, at in ordine ad matrimonium ineundum tantum. Item si de voto sollemni agatur, dummodo non validitas eiusdem in dubio vocata sit, sed de eo dubitetur, an nupturiens illud revera emiserit [3]. Quodsi validitas voti dubia sit, res ad S. Sedem deferenda erit (can. 586, § 3), nisi ad can. 1043 et 1045, § 1, refugium pateat [4].

Super impedimento *cognationis legalis* in dubio facti Ordinarius loci vi can. 15 dispensare potest, cum sit de iure et de facto dispensabile. Ubi adnotare iuvat impedimentum istud per dispensationem a civili potestate concessam minime tolli; can. 1059 resp. 1080 enim lex civilis canonizatur quae etiam obtenta a potestate civili dispensatione plenum retinet vigorem. Ab impedimento canonico autem nonnisi Ecclesia dispensat.

Ad impedimenta *mixtae religionis* ac *disparitatis cultus* quod adtinet, super iisdem quoque ad normam can. 15 locorum Ordinarii dispensare possunt. Cautiones saltem implicitae de universa prole nascitura catholice baptizanda educandaque (can. 1061, § 1, n. 2° et 1071) ad validitatem dispensationis requiruntur, cum de condicione ipsa lege divina requisita agatur [5]. In quibusnam casibus factum suscepti baptismi dubium sit, ex *Instructione S. S. Congregationis S. Officii* die 1 augusti 1883 data videre licet [6]. Quid vero si dubitetur,

---

[3] Cum documentum baptismatis sec. can. 1816 de iis tantum fidem faciat quae principaliter et directe in eodem affirmentur, absentiâ adnotatae professionis (can. 470, § 2) minime probatur professionem emissam non fuisse.

[4] Can. 81 amplius nequit invocari. Cf. *A.A.S.* 41 (1949) 158, D. I.

[5] *A.A.S.* 33 (1941) 294.

[6] *C.I.C., Fontes,* nr. 1083.

utrum nupturiens pro catholico an pro acatholico (baptizato) habendus sit? Cum can. 15 longe absit quin adserat probabilismo quoad leges ecclesiasticas indulgeri posse in casu dubii facti, respondendum censemus manente dubio ad dispensationem confugi debere. Quod de omnibus impedimentis mere impedientibus dictum intelligatur.

Postquam Litterae Apostolicae « *Crebrae allatae* », can. 32, § 2, potestatem Patriarcharum Orientalium agnoverint super impedimento *aetatis* infra biennium completum dispensandi, neque in iure Latino amplius adfirmari potest, quod S. Sedes in illo « non soleat » dispensare. In dubio facti ergo Ordinarius loci vi can. 15 super eodem dispensare poterit, dummodo discretio debita contrahentium in tuto posita sit [7]. Dubia circa aetatem contrahentium etiam hodie non tantum in regionibus missionum sed inter profugos quoque nulla prorsus documenta exhibere valentes emergere posse experientia constat.

De impedimento *impotentiae* in ordine ad can. 15 sat erit verba can. 1068, § 2, recolere: « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ».

Super impedimento *ligaminis* (can. 1069, § 1), cum sit iuris divini, neque Papa dispensat. Expresse etiam prohibetur (ibid., § 2), ne in dubio de validitate aut solutione prioris matrimonii aliud contrahere permittatur, perinde ac *Instructio* S. Congregationis S. Officii die 13 maii 1868 data (nr. 11) quoque Ordinariis locorum iniungit, ut dubiis de obitu prioris coniugis stantibus rem examini S. Sedis subiciant. Neque dispensationes « super rato » in exemplum adferri possunt. In iis enim Romanus Pontifex non ab impedimento ligaminis dispensat ,cum dispensatio etiam citra intentionem aliud contrahendi matrimonium concedatur, sed super lege indissolubilitatis matrimonii (can. 1110), idque vi potes-

[7] J. Bánk, *Connubia canonica* (Romae - Friburgi/Brisg. - Barcinone 1959) 167.

tatis vicariae. Quia insuper dispensatio super matrimonio rato quidem at non consummato nunquam concedatur, nisi de inconsummatione eiusdem procul dubio constet [8], videre est, ad casum matrimonii dubie consummati facultatem de qua can. 15 adplicari omnino non posse.

Ad impedimentum *s. ordinis* quod adtinet, distingue inter epicopatum presbyteratumque, super quibus nempe Papa de facto nunquam dispensat [9], interque diaconatum ac subdiaconatum, super quibus cum immediate tum mediate (per reductionem ad statum laicalem) haud ita raro dispensatur. Distingue praeterea, utrum validitas s. ordinis indubie suscepti an factum ipsum suscepti s. ordinis dubium sit. Quotiescumque de validitate s. ordinationis dubitatur, adplicandi sunt canones 1993-1998. Facultas de qua can. 15 ergo invocari omnino nequit. Superest tantummodo ut de dubio, an s. ordinatio revera suscepta sit, agamus [10]. Hoc stante dubio Ordi-

---

[8] *Instr.* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, 7 maii 1923, nr. 103.

[9] Indultum recentissimis temporibus quibusdam viris uxoratis elargitum vi cuius iidem in provectiori aetate ad sacerdotium promoti uxorem item vetulam apud se retinere possunt, dispensationem non a lege s. caelibatus, sed a can. 987, n. 2° secumfert.

[10] En casus: Fridericus natione linguaque Germanus, at in Rumenia, in dioecesi Timisoaren., natus nunc tamen inde exiliatus in Republica Foederali Germaniae Occidentalis domicilium habens matrimonium cum Hedwige catholica contrahere vult. Post primam promulgationem mulier quaedam parochum adit eidemque enarrat se Fridericum in ecclesia paroeciali de X, dioecesis Timisoaren., stola transversa indutum ad s. Synaxim accedentem vidisse. Fridericus, interrogante parocho, ultro admittit se in Seminario episcopali Timisoaren. per plurimos annos quidem studiis theologiae incubuisse, at omnino negat se unquam ss. ordinibus initiatum fuisse. Sed neque Fridericus neque mulier illa testes inducere valent ad probandam cuiusque assertionem. Litterae baptismales a Friderico productae nonnisi adnotationem receptae confirmationis continent. In Rumenia, grassante communismo atheo, paroeciae quidem admissae sunt, at Curia Timisoaren. suppressa. Parochus loci X, eiusdem dioeceseos, litteris ad parochum nunc Friderico proprium datis, negat se sive Fridericum sive mulierem illam umquam vidisse immo videre potuisse, cum inde a triennio tantum paroeciam regat.

narium posse vi can. 15 super impedimento sive ex s. diaconatus sive s. subdiaconatus ordine provenienti dispensare, non est cur anceps dicamus. Sed quaeret quispiam, in quonam obiectum huiusmodi dispensationis repositum sit. Immediate ad impedimentum de quo in can. 1072 illam referri in propatulo est. Sed secumfertne dispensatio super impedimento saltem mediate reductionem ad statum laicalem? Respondendum censemus negative quoad can. 15, in quantum iste ad impedimentum s. ordinis refertur, etsi haud ignorantes probatos quosdam Doctores adversam propugnare sententiam [11]. En argumenta quibus opinio nostra innititur. Ordo cum statu matrimoniali non absolute incompatibilis est, alioquin repugnaret in Ecclesia Orientali coniugatos sacris initiari [12]. Ergo can. 200, § 1, ne tunc quidem invocari posset, si potestatem de qua in can. 15 « a iure delegatam » quis vocare mallet. Constat praeterea dispensationem super impedimento matrimoniali s. diaconatus seu subdiaconatus ante *Codicem Iuris Canonici* ex praxi Curiae Romanae indultum reductionis ad statum laicalem minime secumtulisse [13]. Neque obicias can. 1043-1045 consulto sane omissam esse obligationem recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda reductione ad statum laicalem. Etenim Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos declaravit Ordinarios locorum vi can. 81 cum diaconibus subdiaconibusque « in lege s. caelibatus » (quae verba de industria electa esse nobis videtur) dispensare non posse [14]. Cum iuxta hanc authenticam Legislatoris interpretationem Ordinarii locorum « in periculo gravis mali » super impedimento s. ordinum diaconatus subdiaconatusque, minime vero, iisdem in adiunctis, super can. 132 § 1, dispensare possint, remur eosdem neque vi can. 15, in dubio scl. facti, reductionem ad

---

[11] Vide controversiam apud F. P. Sweeney, *The Reduction of Clerics to the Lay State* (Canon Law Studies, 223) Washington D.C. 1945, 136-139.

[12] Cf. J. Bánk, *op. cit.*, 212.

[13] *Ibid.*, 296.

[14] *A.A.S.* 41 (1949) 158, D. II.

statum laicalem concedere posse. Quod in praxi duplicem habebit consequentiam. Primo quidem: Dispensatus ab impedimento matrimoniali s. ordinum tenebitur, saltem in conscientia, cum ipsi certe indubie cognitum sit, utrum diaconatum seu subdiaconatum susceperit necne, reductionem ab Apostolica Sede impetrare. Secundo autem: Dissoluto matrimonii praeeunte dispensatione de qua sermo initi vinculo, diaconus subdiaconusve putativus ad aliud matrimonium nonnisi obtenta prius altera dispensatione vel impetrato indulto laicizationis convolare valeret.

Ab impedimento, quamvis iuris mere ecclesiastici, *raptus* Papa in casibus dumtaxat omnino peculiaribus dispensat [15]. Quamquam facti species, ex. gr. an mulier in domo raptoris constituta libere matrimonio iungi velit, cum eundem adamaverit, dubia esse potest, censemus nihilominus can. 15 invocari non posse, cum de impedimento agatur super quo S. Sedes non « soleat » dispensare. Dispensationem enim quandoque concessisse non idem est ac « solere » illam elargiri.

Notissimum est impedimento *criminis* (can. 1075) diversas complecti facti species. De casu coniugicidii alterutro vel utroque machinante (can. cit., nn. 2°-3°) non est cur oleum perdamus; in his enim impedimenti criminis speciebus neque S. Sedes dispensat, eo minus can. 15 ad illas referri potest. Restat ergo ut de casibus adulterii cum promissione sive attentatione matrimonii agamus. Sed antequam investigemus, an et in quibusnam adiunctis haec impedimenti criminis species facti dubium admittant, de indole eiusdem iuridica pauca dicenda esse videntur. Utrum de lege simpliciter inhabilitanti et aliquam similitudinem cum poena canonica secumferenti, an de lege s. d. plus-quam-perfecta, seu inhabilitanti simul ac poenali agatur, discernendum est. Historice constat impedimentum istud a vera quadam poena iuris romani originem duxisse [16]. Pacificum est

---

15 J. BÁNK, *op. cit.*, 223.

16 *Lex Iulia Aug.; Instit.* 9, 9, 30.

praeterea, quod omnes ferme iuris decretalium commentatores illud pro vera poena, eaque vindicativa, habebant [17]. Unde deducendum esse remur illud ad normam can. 6, 2°, etiam nunc nomine verae poenae vindicativae latae sententiae venire. Delicta quae can. 1075 plectuntur haec sunt: Adulterium (cf. can. 2357, § 2), bigamia (cf. can. 2356), coniugicidium (cf. can. 2354). Promissionem matrimonii vivente comparte tertiae personae factam delictum non esse liquet; cum promissio condicionata prae oculis habeatur [18], etiam peccatum contra iustitiam deest, poenis tamen canonicis peccatum imprimis grave punitur [19]. Prout ex can. 2232, § 1, videre est, poena externo in foro tunc tantum observanda est, quotiescumque sententia (seu decretum) intercessit aut de delicto notorio (can. 2197, n. 3°) agitur, cum nemo seipsum diffamare teneatur. Delictum dubium, prout can. 2233, § 1, docemur, puniri nequit. Unde deducere quis posset, in ordine ad can. 1075 facultate de qua in can. 15 Ordinario opus non esse, cum in casu dubii facti poena vindicativa, prout haec can. 1075 imponitur, in foro externo observari non debeat, nisi nupturientes ultro confiteantur se delicti haud expertes esse. Quae tamen sententia, licet per se recta, ad impedimentum criminis nequaquam adplicari potest. In sacramentis enim tutius est agendum. Stante ergo dubio dispensatio ad normam can. 15 concedenda est, ne validitas matrimonii periclitetur. Neque cuiquam per dispensationem iniuria adfertur, quia dispensatione « ad cautelam » longe abest quin adseratur delictum in casu perpetratum ideoque poenam contractam esse.

Nunc iam ad ea oculos coniciamus quae circa impedimentum istud dubia esse possunt. Quatuor sunt

---

[17] Cf. M. Card. Lega, *Praelectiones de iudiciis eccl.* vol. III, Romae 1899, 19.

[18] « Matrimonium contraham tecum, dummodo uxor mea moriatur ».

[19] Cf. A. Szentirmai, *Erwägungen zur Straftheorie des geltenden Kirchenrechts*, in: *Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht*, 10 (1959) 268.

eiusdem elementa, nempe (*a*) adulterium materiale et (*b*) formale, (*c*) promissio futuri matrimonii, vel (*d*) attentatio eiusdem.

(*a*) Admissâ copulâ praesumitur, ad analogiam can. 1015, § 2, illam veram consequenterque adulterium de quo hic sermo perfectum fuisse [20]. Idem valet, item ex can. cit. argumentum sumendo, si nupturientes seu alterutra pars copulam locum habuisse diffiteatur quidem, at in tuto posita sit eos sub eodem tecto pernoctavisse. Quoad adulterium materiale itaque dubium facti aegre admittetur.

(*b*) Multo minus adhuc dubium esse poterit, an adulterium formale fuerit, in casu. Matrimonium etenim est factum notorium cuius ignorantia minime praesumitur sed probatione indiget (can. 16, § 2). Deficientibus argumentis praesumitur adulterium, in casu, formale fuisse ideoque nupturientes impedimento criminis arceri, sicubi nempe promissio vel attentio accedat.

(*c*) Ad mutuam futuri matrimonii promissionem quod adtinet, illa quidem per se dubia esse poterit, praesertim si alterutra pars vel ambae diffiteantur sibimet nubendi durante priore matrimonio promisisse. Sed distingue, de quanam muliere agatur; si sponsa tempore adulterii cum sponso commissi incorrupta fuerit, ex praxi S. R. Rotae praesumendum est eam id in spe futuri matrimonii egisse, cum puella bonis moribus imbuta vix aliter ad peccandum carnaliter induci possit. At si de femina abiectis moribus agatur, id non necessario praesumendum erit, ergo etiam can. 15 invocare licebit.

(*d*) Attentatio matrimonii vivente coniuge alterutrius nupturientis per se factum item notorium est, nullum admittens facti dubium. At si utraque pars neget ex. gr. actum civile inter easdem locum habuisse, neque documenta proferre valeant, dubium can. 15 praevisum procul dubio aderit, quotiescumque fundata habeatur suspicio sponsos veritatem occultasse.

---

20 Cf. C. Holböck, *Tractatus de iurisprudentia S. Romanae Rotae*, Graetiae - Vindobonae - Coloniae 1957, 91.

Quoad impedimentum *consanguinitatis* iam Decretales quaedam Honorii Pp. III dubia insolubilia emergi posse docent [21]. Sed adverte praescriptum can. 1076, § 3: « Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis ». Si haec dubia sint, neque can. 15 adplicari valet. Sed in omnibus aliis casibus, sive de consanguinitate legitima sive de illa naturali agatur, in dubio facti can. 15 invocari poterit. Etsi enim S. Congr. de disciplina Sacramentorum die 1 augusti 1931 innuisset dispensationem super impedimento consanguinitatis gradus 2^{di} mixti cum 1° aegre tantum concedi [22], hôc minime adserere voluit, ni fallimur, eam concedi « non solere ».

Ad impedimentum *adfinitatis* nunc iam intendamus. Cum ex consanguinitate originem ducat, eadem et de extensione eius dubia ac in impedimento illo exsurgere poterunt. Adverte tamen dispensationem super impedimento adfinitatis in primo gradu lineae rectae ferme nunquam a S. Sede concedi [23], quae itaque ne vi can. 15 quidem elargiri valeret. Casus dubii, utrum de impedimento adfinitatis an potius de illo honestatis publicae agatur, in casu, sane rarissimus erit, cum matrimonium sec. can. 1014 pro valido habendum sit donec contrarium probetur. At si de eo dubitetur, utrum declaratio nullitatis prodierit, nostrâ quidem sententiâ, ab illo impedimento quod verisimilius est absolute, ab altero « ad cautelam » dispensandum erit.

Circa impedimentum *publicae honestatis* aliud circa id, num concubinatus hic et nunc quidem occultus alibi divulgatus sit necne, dubium subesse poterit. De eo quoque dubitari posset, utrum concubinatus revera adfuis-

---

[21] Gregorii IX *Decret.* IV, 1, 27.

[22] *A.A.S.* 23 (1931) 413-415.

[23] Etiam in quodam Decreto quo Secretariatus Status praesidi coetus Episcoporum in quadam Republica communistica facultates omnino speciales concessae fuerunt, impedimentum adfinitatis in primo gradu lineae rectae expresse citra facultates manere dicitur.

set, ex. gr. partibus admittentibus virum cum matre sponsae carnaliter peccavisse, quin intentionem habuisset permanentem cum illa consuetudinem instaurare. In his casibus can. 15 invocare licebit. Quaerendum restat, utrum condicio « in qua S. Sedes dispensare solet » relate ad impedimentum publicae honestatis verificetur. Experientiâ constat Sedem Apostolicam etiam super impedimento primi gradûs dispensare, dummodo in tuto positum sit unam partem non esse alterius prolem [24]. Sub eadem condicione etiam in dubio facti (quod tamen non circa originem unius ab altero versatur), vi can. 15, dispensari posse non est cur negemus.

Impedimentum *cognationis spiritualis* oritur ex baptismate fluminis inter baptizatum interque patrinum et baptizantem (can. 1079 coll. cum can. 763), ubi necessario subintelligitur patrinitatem sec. can. 765, nn. 1°-2° et 4°-5° validam esse. Obicere quis poterit de valida patrinitate nullum subesse posse dubium, cum inscriptio in litteris baptismalibus ad normam can. 1816 praesumptionem gignat validae patrinitatis. Sed quandoque documentum collati baptismi deficit nec haberi potest! Notum est praeterea a baptismatis administris iusto pluries « patrinos » acatholicos etc. in librum baptizatorum inscribi! Exorto itaque dubio de facto vel de validitate patrinitatis can. 15 invocari valebit, quum de impedimento agatur super quo et Sedes Apostolica dispensare soleat.

(*3*). Relinquitur tandem ut de relatione can. 15 ad can. 1099 videamus. Quaeritur ergo, num possit loci Ordinarius super lege *formae canonicae* in dubio facti dispensare. Cum id eidem ex can. 1043 in periculo mortis alterutrius contrahentis et, ni fallimur, ex can. 81 sub condicionibus ibidem statutis competat, non est ambiguendum quin de lege dispensabili agatur. Quidnam dubium esse debeat possitque, ut Ordinarius loci facultate de qua can. 15 uti queat? Respondendum censemus illam ad solum casum restringi, sicubi invincibiliter du-

---

[24] J. Bánk, *op. cit.*, 276.

bitetur, an alterutra contrahentium pars, cum parte acatholica contractura, pro « baptizata in Ecclesia catholica » habenda sit necne [25]. Patet casum istum tunc tantum occurrere, si celebratio in facie Ecclesiae recusatur; alioquin enim prius curandum esset, ut pars dubie catholica (saltem ad cautelam) absolutionem a censuris forte contractis obtineat.

III.

Nunc iam ad *indolem iuridicam* dispensationis matrimonialis in dubio facti ad normam can. 15 concessae intendamus.

(*1.*) Actum iuridicum vi can. 15 positum *veri nominis dispensationem* esse non est cur argumentis demonstremus; in hoc enim omnes consentiunt canonistae. Tamquam dispensatio sensu proprio sumpta legibus cir-

---

[25] En casus: Alanus catholicus, natione Francogallus, matrimonium contraxerat cum Jacobaea sectae acatholicae adscripta. Coniugibus Moscuae, in urbe principali Unionis Rerumpublicarum Sovieticarum, domiciliatis, unio prole recreata eique nomen Birgitta inditum est. Nunc Birgitta, religionis omnino incuriosa cum Mauritio acatholico matrimonium s. d. civile contrahere intendit. At interim Jacobaea ad fidem catholicam conversa est ac unâ cum Alano fidelis quam maxime pia effecta. Alanus et Jacobaea nunc recordantur Birgittam tunc temporis Moscuae, ipsis insciis, rem ancilla eorum componente, baptizatam fuisse. Nesciunt tamen neque unquam noverunt, utrum a sacerdote catholico an schismatico. In Unione Rerumpublicarum Sovieticarum inde ab anno 1918 severissime vetitum est ne sacerdotes sive catholici sive schismatici libros paroeciales conficiant. Ancilla quae Birgittam baptizari curaverat, iamdudum viam universae carnis ingressa est, neque Alano Jacobaeaèque notum est cuinam religioni ipsa adhaesisset. Grave tamen ipsis esset, si filia eorum invalide matrimonio iungeretur. At Birgitta Mauritiusque parentibus sponsae quidem relinquunt utrum proles eorum nascitura baptizetur necne ac utrum catholice an sine ulla religione educetur, renuunt tamen cuiuslibet religionis ministrum matrimonium celebrandi causa adire. Adest ergo impedimentum mixtae religionis dubium, habentur tamen cautiones implicitae utriusque partis. Dubitatur vero, num Birgitta ad formam canonicam teneatur.

ca dispensationem in genere statutis regitur. In qua parte duo consideranda veniunt.

Ait can. 84, § 1: « A lege ecclesiastica ne dispensetur sine *iusta et rationabili causa,* habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est ». Indubium est « iustam et rationabilem causam » etiam ad validitatem dispensationis vi can. 15 concessae requiri. Sed in quonam « iusta et rationabilis causa » relate ad can. cit. consistat, videndum est. Sufficitne ipsum dubium? An aliqua specialis requiritur circumstantia Superiorem ad elargiendam dispensationem movens? Aliis verbis: Quaeritur utrum ipsum dubium facti pro causa dispensationis sufficiat, an exsistentia alicuius causae canonicae, prout hae sec. praxim stylumque Curiae admittuntur, indicanda sit. Cui respondendum remur quaestioni: adfirmative seu ipsum dubium facti pro causa dispensationis haberi posse. Idque propter argumenta quae sequuntur:

(*a*) Loci Codicis paralleli, videlicet can. 81, 1043, 1045 non modo condicionem, sub qua nempe Ordinario facultas dispensandi competit, sed causam dispensandi quoque iisdem verbis complectuntur. Commune est can. 15 ab una et canonibus citatis ab altera parte quod potestatem alioquin Romano Pontifici propriam Ordinariis communicant. Quodsi can. 81, 1043, 1045 cum condicionem tum causam dispensandi exprimant, idem dicendum est etiam quoad can. 15. Ergo per verba « in dubio facti » item condicio *et* causa significatur.

(*b*) Finis can. 15 est praecavere, ne subditis nimia imponantur onera. Quodsi dubium iuris omnem vim legis tollat, aequum est in dubio facti dispensationem facilius saltem obtineri.

Unde consequitur dispensationem matrimonialem vi can. 15 concessam ac ceteroquin ad normam can. 1054 interpretandam valore destitui, sicubi ad obtinendam relaxationem impedimenti maioris gradus nupturiens *falso alleget dubium facti,* cum tunc unica causa finalis falsa sit. Idem valet, quando probationes quibus demonstrari posset impedimentu min casu revera certum adesse

reticentur (can. 42, § 1). In his enim casibus non dubium in mente Superioris provocatur, sed error; ad quem non can. 15 sed can. 104 refertur. Ceterum, etsi contingat Ordinarium loci dubitare de adimplemento condicionum can. 15 appositarum, dispensatio vi can. 84, § 2, et can. 209 licite et valide conceditur.

(*2.*) Haud minimi momenti est quaestio, utrum dispensatio ad normam can. 15 concessa vi potestatis ordinariae an a iure delegatae elargita sit. Quamvis cl.mus *P. Ojetti* opinatus sit can. 15 delegationem a iure contineri 26, magis de *potestate ordinaria* agi, nobis quidem, videtur. Facultas enim in legibus Ecclesiae generalibus in casu dubii facti dispensandi ipso iure, can. 15, adnexa est officio Ordinarii loci; atqui hôc praecise potestas ordinaria constituitur (can. 197, § 1). Potestas de qua sermo itaque ordinaria eaque *vicaria* est, cum vice Papae exerceatur.

Tamquam ordinaria potestas etiam facultas can. 15 concessa sive habitualiter sive per modum actus *delegari* (can. 199, § 1) ac delegata in singulis casibus subdelegari (ibid., § 3) potest. Nihil proinde obstat, quominus Ordinarius loci ex. gr. Vicariis foraneis facultatem faciat in dubio facti super legibus matrimonialibus dispensandi, immo etiam omnibus indiscriminatim praoeciarum rectoribus, quamvis hoc certe non responderet menti Legislatoris quippe qui « valde exoptet ut, antequam parochus ad matrimonii adsistentiam procedat, licentiam suae Curae, quam nihil obstat nuncupant, consequantur » [27].

An Ordinarius loci, verificatis condicionibus, potestate de qua can. 15 *uti tenetur*? Per se negative respondendum est, cum nulla cuiquam dispensatio iure debeatur [28], neque in dubio facti. At aliquando Superior ad concedendam dispensationem per accidens obligatur, quod etiam in ordine ad can. 15 verificari poterit. Cum

---

[26] B. Ojetti, *De natura potestatis Ordinariorum sec. Codicem*, in: *Gregorianum* 6 (1925) 436-441.

[27] *Instr.* S. Congr. Sacram., 29 iunii 1941, nr. 4 (a).

[28] G. Michiels, *Normae generales iuris canonici*, vol. II, Lublinii 1929, p. 457.

tamen Romanus Pontifex in universo orbe terrarum iurisdictione immediata episcopali polleat, Ordinarius loci, Romano Pontifice inferior, per se nunquam prohibetur casum ad S. Sedem deferre respective facultatibus sibi delegatis, reticito can. 15, uti. Quod autem ne fiat de more; alioquin enim supponeretur Legislatorem can. 15 incassum promulgavisse. Neque necesse est ut Ordinarius loci ad Legatum Apostolicum recurrat, cuius praesentia usum facultatis can. 81 illicitum reddit [29]. In rescripto dispensationis mentio utique facienda est can. 15, at omittenta facultatum quinquennalium.

Quoad *taxas* notandum est dispensationes ad tramitem can. 15 concessas gratis omnino elargiendas esse, excepta modica aliqua praestatione (can. 1056). Nec S. Congregationi Consistoriali ulla taxa remittitur.

Cum dispensatio matrimonialis vi can. 15 concessa ex potestate ordinaria procedat, quoad legitimationem prolis locum obtinet *can. 1051.* Ergo prolis iam natae seu conceptae legitimatio non conceditur sicubi Ordinarius super lege formae, in impedimentis s. ordinis ac voti sollemnis et in illis prohibentibus dispenset.

Quid si cum impedimento dubio aliud, idque certum, *concurrat*? Poteritne Ordinarius loci super impedimento dubio vi can. 15 dispensare relaxationem alterius vigore facultatum habitualium concedendo sive illam a S. Sede impetrando? cum can. 1050 « indulti » tantum mentionem faciat, cuius nomine potestas de qua can. 15 certissime non veniat, adfirmative respondendum esse remur. Sententiam nostram Formula III facultatum quinquennalium minime infirmat. Ubi enim S. Congr. S. Officii Ordinariis loci facultatem facit in impedimento disparitatis cultus « ad cautelam » dispensandi, hoc ni fallimur, non stricte delegando sed in mentem revocando scribit.

Alexander Szentirmai

---

[29] *A.A.S.* 39 (1947) 374.

MATRIMONIUM CUM PERSONA DUBIE BAPTIZATA

Bartholomeaus baptismum recepit in aliqua secta protestantica, sed de huius baptismi validitate grave viget dubium, quia minister adhibuit formam, de cuius validitate theologi dubitant. Nemo formam adhibitam declarat aut certo validam aut certo invalidam. Anno praeterito Bartholomaeus morte amisit uxorem suam, quae in partu quarti filii e vita discessit. Quaerens personam quae pro filiis suis parvulis erit bona mater, incidit in Alidam, catholicam, cuius qualitates morales et indoles ab omnibus laudantur. Erga eam fovere coepit amorem et ei proponit matrimonium. Alida se demonstrat paratam, sed exponit Bartholomaeo se utpote catholicam non posse educare filios non catholicos. Ad hoc Bartholomaeus respondet se iam praevidisse hanc difficultatem, sed plene permittere ut filii, adhuc omnes parvuli, catholice baptizentur et in fide catholica educentur. Ipse, numquam fervens in religione sua. Ecclesiae catholicae nullatenus est adversus; forsitan et ipse postea perveniet ad amplectendam hanc fidem. Parochus cui Alida casum proponit, putat ei consulere debere hoc matrimonium. Cognoscit Alidae fidem et virtutem solidam, nec dubitat de honestate et sinceritate Bartholomaei. Hoc matrimonium, cum debita dispensatione initum, erit medium salvandi animas infantium, et forsitan etiam medium obtinendi conversionem patris. Hora vespertina post coenam, conveniens cum duobus vicariis suis ut agant de rebus paroecialibus, parochus casum proponit ipsis, ut communi deliberatione statuant quomodo sit procedendum.

1. Pius, primus vicarius, opinatur petendam esse dispensationem ab impedimento mixtae religionis et impedimento disparitatis cultus. Nam certum est obstare alterutrum istorum impedimentorum, sed dubium viget insolubile utrum in rerum veritate hoc an illud obstet

impedimentum. Ergo petenda est dispensatio ab utraque aut, quod in idem redit: petenda est dispensatio ab impedimento mixtae religionis et *ad cautelam* insuper ab impedimento disparitatis cultus, pro casu quo Bartholomaeus non esset valide baptizatus.

2. Parochus respondet hanc solutionem esse bonam et tutissimam. Scit autem Ordinarium proprium sponsorum, qui est et suus, non gaudere facultate habituali dispensandi ab his impedimentis. Ideoque adeunda est S. Sedes.

3. Hos mihi non videtur necessarium, ait Pius. In canone 15 statuitur, quod Ordinarius in dubio facti potest dispensare a legibus ecclesiasticis. Clarum est quod in casu nostro tam impedimentum mixtae religionis est dubium et quidem dubio facti, quam etiam impedimentum disparitatis cultus est dubium, etiam dubio facti. Ergo Ordinarius loci potest tam in illo quam in hoc impedimento dispensare. Nihil impedit quominus dispenset in utroque. Qui enim potest dispensatione amovere hoc impedimentum et amovere aliud impedimentum, potest etiam utrumque amovere. Si haberetur in uno eodemque casu impedimentum consanguinitatis dubium et impedimentum criminis dubium, nemo haesitaret admittere Ordinarium posse vi c. 15 ab utroque dispensare, et efficere ut matrimonium fiat licitum et validum. Insuper, Ordinarium hoc facere posse explicitis verbis declaratur in c. 1049, § 2 [1].

4. Parochus replicat se hanc solutionem non posse admittere ob duas rationes. Praeprimis, non videtur esse certum Ordinarium posse vi potestatis concessae in c. 15, dispensare a duobus impedimentis (dubiis) *in uno eodemque casu occurrentibus*. Nam c. 1049, § 2, hanc potestatem concedit, sed cum quadam restrictione. Hanc potestatem concedit iis « qui habent *indultum generale* dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis ».

1 « Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus ».

Sed Ordinarius qui agit vi c. 15 non habet indultum generale, nec agit vi huiusmodi indulti, sed vi *iuris communis.*

5. Ad hanc obiectionem Pius respondet: mihi videtur quod tu canoni 1049 tribuis sensum quem non habet. Canon nihil aliud facit quam declarare quod concurrentia plurium impedimentorum in uno eodemque casu non obstet quominus Superior praeditus indulto generali dispensandi ab ipsis impedimentis hanc suam potestatem exerceat circa omnia haec impedimenta. Haec declaratio non est superflua. Etenim, ante Codicem vigebat ius contrarium, vi cuius Ordinarius, gaudens potestate dispensandi, a S. Sede indulto generali concessa, super pluribus impedimentis singulis, non potuit ab ipsis dispensare si plura concurrerent in uno eodemque casu. Ut posset etiam in hisce casibus dispensare, ordinarius indigebat sic dicto « indulto cumulandi », quod ab Apostolica Sede aliquibus Ordinariis concedebatur, indulto distincto ab indulto dispensandi a pluribus impedimentis. Haec omnia videri possunt in libris, qui praebent ius antiquum seu ante Codicem vigens, e. g. apud Gasparri, *De Matrimonio,* ed. 1904, I. n. 466.

Concedo quod canon 1049, § 2 *condit* ius (et non tantum declarat), sed modo speciali, scilicet abrogans aliquod ius antiquum, vigens ex stilo Curiae. Si canon 1049 § 2 non haberetur, hoc ius antiquum adhuc esset in vigore, cum ius stilo Curiae vigens mero silentio Codicis non sit abrogatum, quoties hoc ius respicit modum interpretandi et applicandi facultates ab Apostolica Sede concessas. Quapropter c. 1049 est causa potestatis cumulandi dispensationes in hoc sensu, quod est *removens prohibens;* removet statutum antiquum, stilo Curiae vigens, quo hoc exercitium cumulativum erat impeditum.

Per se autem seu vi naturae rerum ius dispensandi cumulative videtur contentum in ipsa potestate dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis. Occurrentia in uno casu ex se casum non subtrahit a potestate concessa. Si exercitium cumulativum sit prohibitum, hoc debet habere causam specialem. Nisi haec

causa specialis habeatur, potestas dispensandi etiam extenditur ad exercitium cumulativum. Causa illa impediens aderat in iure antiquo relate ad potestatem concessam indulto generali; hodie vi c. 1049 quantum ad potestatem sic concessam est amota.

Relate ad potestatem aliis modis obtenta c. 1049, § 2, nihil statuit. Ex hoc non sequitur quod exercitium cumulativum in aliis casibus fieri nequit. Sequitur tantum quod ius regens alios casus deducendum est ex aliis fontibus. Sequitur magis in specie, quod exercitium cumulativum fieri nequit in casibus, in quibus ante Codicem ex stilo Curiae fieri nequibat; notatim in casu in quo potestas dispensandi habetur rescripto *in casu particulari* [2]. Haec prohibitio semper adhuc viget.

De potestate dispensandi habita ipso iure (cc. 15, 81, 1043-1045) nihil speciale statuitur in Codice nec in stilo Curiae aliquid habetur, quo impeditus esset usus cumulativus. Imo, pro potestate cc. 1043-1045 concessa, explicite declaratur cumulationem esse legitimam [3]. Quapropter tenendum est quod potestas c. 15 concessa etiam exerceri potest si requiratur dispensatio in duobus impedimentis dubiis.

6. Haec argumentatio mihi videtur solida, candide confitetur parochus. Ergo ex parte c. 1049, § 2, non ha-

[2] Fieri enim potest ut Ordinarius loci ab uno impedimento dispensare possit vi indulti generalis, ab alio autem nonnisi vi rescripti in casu particulari; aut ut dispensare possit tam ab uno quam ab alio, sed vi duorum rescriptorum particularium. Etsi reticentia alterutrius impedimenti in eodem casu occurrentis saepe huiusmodi rescripta reddat invalida (ob subreptionem, c. 42), tamen non semper. Nam c. 1054 statuit, quod nulla subreptio aut obreptio invalidam reddit dispensationem concessam super impedimentis *minoris gradus*.

[3] Haec declaratio in cc. 1043-1045 in ipso Codice est ad maiorem claritatem. Explicitis verbis declaratur id, quod etiam valeret, si verba essent omissa. Nam etiam in iure antiquo dispensatio danda in periculo mortis, decreto Leonis XIII data Ordinariis, 20 Febr. 1888, et deinde etiam parochi, 23 apr. 1890, etiam se extendebat ad plura impedimenta *occurrentia in uno eodemque casu*. Nulla datur ratio admittendi haec verba probare quod huiusmodi exercitium cumulativum excluditur pro potestate concessa cc. 15 et 81, quia in his canonibus verba laudata desunt.

betur difficultas contra tuam solutionem. Datur autem alia gravior et mea opinione omnino decisiva. Comparatio a te instituta inter casum quo Ordinarius vi c. 15 dispensat a duobus impedimentis dubiis, quae quantum ad exsistentiam sunt ab invicem *independentia* et casum Bartholomaei et Alidae omnino fallit. Nam in illo casu existentia alterutrius impedimenti non dependet ab absentia alterius et vice versa. In illo igitur casu fieri potest, ut habeatur nullum prorsus impedimentum. *Ipsa necessitas* dispensationis non est certa sed dubia; tota dispensatio est solummodo ad cautelam. Ad dispensandum proprie in huiusmodi casibus data est potestas concessa c. 15. In casu Alidae autem matrimonium est legibus Ecclesiae certo contrarium; matrimonium est *certo* impeditum aliquo impedimento lege statuto. In hoc casu non dubitatur de legalitate matrimonii, sive ob exsistentiam unius sive ob exsistentiam duorum impedimentorum. Minime. Matrimonium est legi contrarium; dispensationis necessitas est *certa*. Dubitatur solummodo utrum ex hoc vel ex illo impedimento.

Porro, hic casus non regitur c. 15 Hoc videtur esse communiter receptum apud canonistas et in praxi Ecclesiae. Confirmatur haec sententia etiam ex hac consideratione. Si Ordinarius posset in tali casu vi c. 15 dispensare, sequeretur absurdum iuridicum. Etenim, in eodem ordine legi magis contrarium est inire matrimonium cum persona acatholica *dubie* baptizata seu probabiliter infideli, quam cum persona non catholica *certo* baptizata seu certo non infidelis [4]. Dubium prout habetur in casu Alidae redderet matrimonium menti Ecclesiae magis contrarium et simul facilius dispensatione contrahendum.

Canon 15 igitur sic est intelligendus, ut Ordinarius loci habeat potestatem dispensandi, quoties habeatur dubium facti de liceitate (vel etiam validitate) matrimonii contrahendi, quo matrimonium est dubie licitum (vali-

[4] Impedimentum disparitatis cultus semper consideratum est et indubitanter etiam est impedimentum gravius impedimento mixtae religionis. Obstat matrimonio, quod maiora secumfert pericula, tam pro fide quam pro moribus coniugis catholici et prolis.

dum). In casu nostro autem nabetur matrimonium certo illicitum, sed dubitatur tantummodo utrum sit impeditum hoc vel illo impedimento.

7. Audita hac parochi sui ratiocinatione Pius concedit suam solutionem esse erroneam. Concludit: tunc non video aliam viam, per quam pervenire possumus ad hoc matrimonium permittendum nisi recursum ad S. Sedem.

8. Post breve silentium Paulus, secundus vicarius, qui inter has disceptationes e bibliotheca parochi extraxit librum et aliquas paginas attente perlegit, intervenit. Datur, ut mihi videtur, alia solutio, dicit non absque aliqua elatione. Audite. In casu Alidae non datur impedimentum disparitatis cultus; hoc est certum. Nam in dubio *iuris* lex non urget. In casu Alidae et Bartholomaei habetur dubium *iuris* de validitate baptismi. Ergo lex statuens impedimentum disparitatis cultus, quod fundatur in defectu baptismi, non urget. Ideoque impedimentum non exsistit, iam ante quamcumque dispensationem Ordinarii. Si autem in casu impedimentum disparitatis non exsistit, Alida uno solo impedimento impeditur a contrahendo hoc matrimonium, scilicet solo impedimento mixtae religionis, et hoc impedimentum est dubium. Ab hoc ergo impedimento Ordinarius dispensare potest vi c. 15. Ergo possumus ad matrimonium hoc pervenire, quin recurramus ad S. Sedem. Et recursus non necessarios esse vitandos, est pacificum inter canonistas.

Nullatenus contradico iis, quae parochus prius exposuit. Sed perhibeo tantum quod haec omnia essent ad rem, si haberetur dubium *facti* circa impedimentum disparitatis cultus. Reapse habetur dubium *iuris*.

9. Animo leviter irato Paulus videt nec parochum nec Pium dare aliquod signum, quo manifestant se consentire huic solutioni. Quapropter exclamat « quae hic dico non est mea propria sententia; eam inveni in libro celebris canonistae. Hic habeo librum « *Institutiones iuris canonici* » scriptum a Conte a Coronata. Si permittitis, vobis legam ea quae hic auctor docet in Vol. III:

De matrimonio, n. 345, agens de impedimento disparitatis cultus: « Baptismus alterutrius vel utriusque partis ... potest esse dubius, quia vel non constat, utrum de facto collatus vel receptus sit, vel quia, quamvis de collatione et receptione constet, non constat tamen utrum valide collatus aut receptus sit. Auctores generatim docent, in primo casu haberi dubium facti, in altero dubium iuris ... [5]. Dubium iuris habebitur ... si dubitatur utrum materia et forma adhibita fuerint sufficientes ». Videte, proprie casus Bartholomaei! Audite nunc conclusionem doctissimi canonistae. « Nec quaestio ista indifferens prorsus est. Nam cum *de matrimonio celebrando* agitur, si baptismus sit dubius solo dubio iuris, matrimonium valet, quia in casu dubium de valore baptismi reddit dubiam exsistentiam impedimenti, et leges irritantes iuris ecclesiastici in dubio iuris non urgent ».

10. Perlectis his verbis Paulus exspectat quod confratres sui se declarabunt victos auctoritate tanti canonistae. Statim autem percipit praesertim parochum leviter subridere. Irritatus exclamat: « putatisne vos melius cognoscere ius canonicum quam Conte a Coronata, auctor multorum librorum de iure canonico?! ».

Parochus animo sereno respondet: amice, etiam auctores librorum quandoque committunt errores, praesertim auctores manualium, utpote qui in brevis temporis spatio totum ius tractantes, non semper procedunt cum sufficienti circumspectione et spiritu critico circa ea quae ipsi proponunt, aut ex libris aliorum auctorum depromunt. Soleo huiusmodi dicta et rationes quas pro ipsis afferunt critice probare, antequam ea accepto, praecipue quoties sententiae veritas mihi apparet suspecta.

11. Hoc facienti mihi apparet auctorem tuum revera committere errorem. Audi. Agitur de applicanda et servanda lege, quae statuit impedimentum disparitatis cultus seu de canone 1070. Habeturne in casu nostro dubium de *sensu* huius canonis? Minime. Sensus huius legis est clarus et certus. Dubium versatur circa *factum.*

[5] Hanc doctrinam non esse ex toto veram recte demonstrat Conte a Coronata.

Dubium habetur, utrum hic habeatur persona baptizata an persona non baptizata, a. v. dubium utrum *factum* (*complexus factorum*) quod requiritur, ut in casu concreto habeatur impedimentum disparitatis cultus lege statutum, sit verificatum an non. Ergo hic viget dubium *facti* circa exsistentiam impedimenti. Lex est certa. Factum « persona valide baptizata » est incertum seu dubium.

12. Paulus attonitus tacet. Interim mente pervolvit ratiocinationem, sperans fore ut detegat aliquam infirmitatem. Illam non inveniens, nec paratus statim cedere, quaerit: sed quomodo explicas talem auctorem sic errare?

13. Ad hanc interrogationem parochus merito respondet: haec est quaestio omnino secundaria et minoris momenti. Id quod pro solutione casus nostri momentum habet est: statuere auctorem errare; non explicare quomodo potuerit errare. Ego tibi probavi hic haberi impedimentum dubium, et quidem dubio *facti* et non dubio iuris, et ex hoc sequitur tuam solutionem fundatam esse in errore. Explicare quomodo aliquis vir doctus ad talem potuerit pervenire errorem, ut iam dixi, est minoris momenti. Neque semper facile est detegere viam, per quam aliquis pervenit ad suum errorem. In casu nostro autem hoc non videtur ne difficile quidem. Auctor tuus omisit attendere ad hoc quod idem dubium potest potest esse dubium *iuris* relate ad unam legem et dubium *facti* relate ad aliam legem. Ratione baptismi tali modo collati et recepti Bartholomaeus refertur ad duas leges distinctas: ad legem (divinam) de baptismo recipiendo et ad legem (ecclesiasticam) de impedimento disparitatis cultus seu legem quae irritat matrimonium inter infidelem et personam catholicam. Idem dubium circa baptismum continet duo dubia relate ad duas leges, scilicet dubium utrum baptismus sit valide collatus et dubium utrum impedimentum matrimoniale exsistat. Primum dubium est dubium *iuris*, concedo. Agitur de dubio circa interpretationem *legis* (divinae) circa formam baptismi Secundum dubium est dubium *facti*. Non agitur de du-

bio circa interpretationem seu sensum *legis* (ecclesiasticae) statuentis impedimentum disparitatis cultus. Agitur de lege certa et clara. Sed dubitatur utrum adsit factum, cui lege adnexus est ille effectus iuridicus qui vocatur: invaliditas matrimonii. Conte a Coronata ad errorem suum pervenit, quia omisit hoc duplex dubium distinguere, et erronee concludit ad dubium iuris relate ad canonem 1070, quia habetur dubium iuris relate ad legem divinam de forma baptismi.

14. Admirans parochi perspicacitatem et prudentiam Paulus se declarat victum et reiicit suam solutionem.

15. Conclusiones.

1) Sententia a Pio proposita in n. 3, teneri non potest.

2) Ratio prima, qua parochus hanc sententiam impugnat (4), fundatur in erronea interpretatione canonis 1049 § 2, ut Pius bene demonstrat (n. 5).

3) Ratio secunda, qua parochus hanc sententiam impugnat (n. 6) est solida et revera demonstrat sententiam Pii (n. 3) esse erroneam.

4) Sententia a Paulo proposita (n. 8-9) et quam invenit apud Conte a Coronata, est falsa; parochus hoc optime demonstrat (n. 11).

Parochus potuisset adhuc ex alia parte arguere contra ratiocinationem Pauli. Si enim in casu Bartholomaei habeatur impedimentum disparitatis cultus dubium *dubio iuris*, etiam impedimentum mixtae religionis est impedimentum dubium *dubio iuris* ideoque non vigens. Ergo tunc nulla requireretur dispensatio. Et tamen certum est quod aliquod impedimentum obstat et dubitatur tantum, utrum habeatur hoc vel illud. Sic iam apparet interpretationem Pauli laborare aliquo defectu.

5) Optime etiam parochus notat (n. 13) maioris momenti esse statuere aliquem errare quam designare quomodo vir errans potuerit ad suum errorem pervenire. Possum habere certitudinem erroris commissi, etsi nesciam et explicare nequeam quomodo error factus sit.

Ludovicus Bender, O. P.

MONUMENTA

Sacra Congregatio Rituum

INSTRUCTIO

De calendariis particularibus et Officiorum ac Missarum propriis ad normam et mentem codicis rubricarum revisendis.

Ad rubricarum Codicem in praxim deducendum, Summus Pontifex Ioannes XXIII in Motu Proprio « *Rubricarum instructum* » diei 25 iulii 1960 statuit, ut « omnes ad quos spectat, quam primum calendaria et Propria, sive dioecesana sive religiosa, *ad normam et mentem* novae redactionis rubricarum et calendarii conformari curent, a S. Rituum Congregatione approbanda »[1].

Quasi prima quaedam accommodatio, nonnullae normae, iam inde ab anno 1961 servandae, per *Declarationem* huius S. Dicasterii dispositae sunt[2]. Restat ut opportunae tradantur instructiones circa calendaria particularia et Officiorum ac Missarum Propria *secundum litteram simul ac mentem* rubricarum novarum congruo modo revisenda, uti in citata Declaratione enuntiatum est.

Caput I. Normae generales

1. Ex rubricarum Codice, quaedam principia generalia praelucent, quae etiam in calendariis et Officiorum atque Missarum Propriis, cum dioecesanis tum religiosis, servanda sunt, scilicet:

---

[1] *A. A. S.* 52 (1960) 595.
[2] *A. A. S.* 52 (1960) 730-731.

a) Proprium de Tempore, quo nempe totum Redemptionis mysterium colitur, super cetera Officia et Missas praeeminentia gaudet;

b) praecipua B. Mariae Virginis et Sanctorum festa Ecclesiae universae, festis particularibus praeferenda sunt;

c) festa particularia secundum momentum ipsis proprium ordinentur et celebrentur;

d) simplicitati, recto ordini et curae pastoralis postulatis provideatur.

2. Quamvis conveniat ut quaevis dioecesis suum calendarium et Proprium Officiorum atque Missarum habeat, aliquando tamen commendanda sunt calendaria et Propria, universae provinciae aut regioni aut nationi, vel etiam latiori ditioni communia, eorum quorum interest, socia adlaboratione paranda.

Quod principium, aequa ratione, servari potest etiam in calendariis religiosis, pro pluribus provinciis eiusdem ditionis civilis.

3. Revisionis opus, *Motu proprio* ita iubente (n. 6), « quamprimum » erit explendum.

4. Ad calendaria et Propria revisenda Ordinarii viros seligant rei liturgicae, historicae et hagiographicae peritos, qui munus sibi creditum competenter explere valeant.

5. Calendaria particularia et Officiorum atque Missarum Propria ad hanc S. Congregationem tribus saltem exemplaribus nitide exaratis mittantur, addito quoque exemplari calendarii et Officiorum atque Missarum Proprii praecedentis. In universo insuper opere transmittendo:

a) breviter sed perspicue rationes exponantur, ob quas singulae mutationes inductae sunt, praesertim si a normis, quae in hac Instructione exponuntur, discrepent;

b) indicetur quoque, cum agitur de Officiis vel Missis novis, quaenam partes ex aliis Officiis vel Missis iam approbatis sumantur, quaenam vero sint noviter confectae.

Caput II. De festorum numero et extensione

6. Festa particularia, ipso iure in calendariis inscribenda, quae *propria* vocantur, rubricarum Codex n. 41-46 recenset.

Numerus festorum quae *indulta* vocantur (Codex n. 47) opportune limitandus est; ut vetera serventur vel nova inducantur, peculiares rationes exstare debent.

7. In praeparando vel revisendo calendario dioecesano aut religioso, ea serventur quae n. 43 *d* et 46 *e* Codicis rubricarum, de festis Sanctorum et Beatorum in calendariis propriis inscribendis statuuntur. Assumantur igitur vel serventur festa tantummodo Sanctorum et Beatorum, qui cum dioecesi aut Religione rationes *peculiares* habuere, et congruus proponatur gradus celebrationis liturgicae, qui necessitudini respondeat Sancti vel Beati cum dioecesi aut Religione (cf. infra n. 16-20).

8. Festa, ratione dominationis politicae vel particularis devotionis olim inducta, quae nunc ad dioecesim vel Religionem nullam vel minimi momenti servant relationem, expungantur.

9. Dari possunt alia festa, quae nunc, propter mutationes confinium, partis tantum alicuius dioecesis vel nationis aut regionis stricte propria sunt: haec festa iis tantum in territoriis celebrentur, quorum revera sunt propria.

10. Festa quae in honorem alicuius Sancti vel Beati celebrantur ratione reliquiarum, iuxta n. 45 *e* et *d* Codicis rubricarum, retinenda sunt gradu competenti in ea tantum ecclesia vel oratorio in quo corpus (non autem reliquia tantum, etsi insignis) eiusdem Sancti vel Beati asservatur; minime vero in calendario universae dioecesis vel Religionis, nisi ex alio titulo retinenda sint.

11. Principium generale esto unumquemque Sanctum vel Mysterium *uno* tantum festo celebrari. Exceptiones nihilominus admittuntur, quas et calendarium ipsum universale admittit, scilicet cum agitur de facto vel relatione vere singulari celebrandis de eodem Mysterio vel eodem Sancto: quod contingere potest in fe-

stis Translationis, vel Inventionis, vel Patrocinii, aliove simili.

Exinde vero pluribus festis Patronus principalis, Titularis et Fundator tantum coli possunt. Huiusmodi tamen festa secundaria, nisi supprimantur, ad modum commemorationis celebrentur.

12. Eiusdem Sancti vel Mysterii *recordationis periodicae* per Officium et Missam aut ad modum commemorationis, si quae exstent, supprimantur.

13. Nihil obstat quominus duo Sancti vel Beati non Martyres, aut plures Martyres uno festo recolantur, si speciales rationes id suadeant; quo in casu adhibeatur etiam Commune plurium Confessorum Pontificum vel non Pontificum, aut plurium Virginum vel non Virginum.

14. Praestat insuper ut e calendariis dioecesanis, quae pluribus Sanctis et Beatis decorantur, e Martyribus vel Episcopis priorum temporum, de quibus praeter nomen parum vel nihil historice constat, festa horum Sanctorum expungantur; festum vero omnium Martyrum velEpiscoporum dioecesis instituatur, illustrioribus tantum Martyribus et Episcopis, de quibus historice constet, particulari festo seorsim celebratis.

15. In calendariis religiosis Sancti vel Beati eiusdem Religionis congruum habeant cultum. Quando vero aliqua Religio pluribus Sanctis et Beatis decoratur, cavendum est ne calendarium universae Religionis plus aequo gravetur. Quapropter:

a) haberi potest in primis festum omnium Sanctorum et Beatorum eiusdem Religionis;

b) singulari festo celebrentur tantummodo Sancti vel aliqui Beati, qui peculiare momentum praeseferant pro universa Religione;

c) de ceteris Sanctis et Beatis, iuxta momentum quod habent in historia Religionis, fieri potest, aut festum in provincia eiusdem Sancti vel Beati, cum commemoratione in universa Religione; aut, si agatur de minoribus Beatis, festum in loco ubi eorum reliquiae asservantur, cum commemoratione in provincia tantum.

Caput III. De festorum gradu

16. Festa in calendariis particularibus gradu I vel II classis inscribenda, a Codice rubricarum n. 42-46 expresse designantur.

17. Praeter festa I et II classis Ecclesiae universae, et festa propria, quibus vi rubricarum idem gradus competit, paucissima tantum alia festa earundem classium in singulis calendariis admittenda sunt.

Hoc ut concedi possit, rationes *omnino peculiares* requiruntur, indolis liturgicae, historicae, pastoralis.

18. Ex littera et mente rubricarum Codicis plane deducitur, III classem ordinarium esse gradum, apprime convenientem Sanctis et Beatis aut Mysteriis vel Titulis, quibus gradus superior, ut supra n. 17, non competat, aut sola commemoratio, ut infra n. 19 et 20, non sufficiat.

19. Neglegenda prorsus non est commemoratio, sane pro compositione calendariorum magni momenti; commemoratio enim ea ratione statuta est, ut exonerentur quodammodo sive calendarium universale, sive calendaria particularia, celebrationibus liturgicis adeo onusta, ut quandoque celebratio plurium festorum Ecclesiae universae praepediatur. Proinde curandum est, ut rationabilis et conveniens commemorationum usus fiat.

20. Saepius pro *tota* dioecesi, regione, provincia (ecclesiastica, religiosa, civili), natione, Religione, omnino sufficit commemoratio vel festum III classis, cum pro *determinato* loco, dioecesi, provincia, regione, gradus altior magis appareat opportunus. Hac prudenter adhibita distinctione, celebrationum particularium onus aliquantum alleviabitur et calendaria peculiaribus necessitatibus et opportunitatibus magis accommodabuntur.

Caput IV. De festorum die

21. Serventur quae rubricarum Codex n. 59-62 hac de re statuit. Attamen, quoad fieri potest:

a) festa propria, quae in universa quoque Ecclesia coluntur, eodem die celebrentur quo in calendario universali inscribuntur;

b) Sanctorum festa propria, quae in calendario universali non inveniuntur, die natalicio celebrentur.

22. Dies, quibus plerumque tempus qaudragesimale et octava Paschatis occurrit, itemque dies a 17 ad 23 decembris, a novis festis particularibus liberi maneant; quod ad festa particularia, his diebus iam statuta, attinet, ordinarie recolantur ad modum commemorationis, sicut fit pro festis universalibus, nisi magis conveniat ut unum alterumve festum peculiaris momenti ad aliud tempus transferatur.

23. Festa olim alicui dominicae perpetuo assignata:

a) si sint festa Domini I classis, dominicae II classis assignata, nihil innovetur (Codex n. 17 *e*);

b) si in calendario universali inveniuntur, eo die celebrentur quo in eodem calendario inscribuntur;

c) si in calendario universali non inveniuntur, alius opportunior dies seligatur.

24. Festa particularia B. Mariae Virginis, olim diei 31 maii affixa, diei 8 eiusdem mensis assignentur.

25. Secundum n. 100 Codicis rubricarum, festa III classis Ecclesiae universae cum festo particulari occurrentia, perpetuo commemorantur aut omittuntur. Attamen:

a) festum universale III classis, in honorem Sancti qui magni momenti fuit pro tota Ecclesia, etiam in calendariis particularibus suo die celebretur; festum vero particulare III classis eodem die occurrens in proximiorem diem liberum reponatur;

b) si vero festum III classis Ecclesiae universae, quod sit magni momenti, cum festo particulari classis superioris occurrat, festum universale transferatur;

c) si aliquod festum particulare I classis, extra diem proprium, assignatum sit diei in quo postea calendarium universale festum II classis excepit, festum particulare in aliud diem transferatur.

26. In Propriis transmittendis, semper indicentur dies natalicius Sanctorum, dies quo singula festa hucusque celebrata sunt, necnon rationes pro hoc die retinendo vel mutando.

Caput V. De quibusdam festis particularibus in specie

A) De Patronorum festis

27. Patronus principalis aut secundarius seu minus principalis, « rite constitutus », unice intellegitur Patronus *sensu proprio,* id est Sanctus (numquam Beatus) *formaliter* uti Patronus secundum S. Rituum Congregationis antiquam praxim electus ac constitutus, vel ex immemorabili traditione acceptus: huic tantum proinde peculiaris liturgica celebratio a rubricis statuta competit.

28. Patronus *principalis* cuiusque loci, vel dioecesis, etc., regulariter unus tantum sit; quandoque alter tantum Sanctus Patronus *aeque principalis* addi potest, cum iisdem iuribus et obligationibus ac Patronus principalis. Itemque cuiusque loci, vel dioecesis, etc., duo tantum Patroni *secundarii* admittuntur.

29. Patroni, sive principales sive secundarii, olim constituti propter regimina aut regna quae iam desierunt, itemque Patroni olim propter extraordinaria rerum adiuncta, v. g. pestem, bellum, aliamve calamitatem, vel propter devotionem specialem nunc remissam electi, exinde uti tales liturgice amplius ne colantur.

30. Ut Patroni Religionis vel provinciae religiosae iuribus liturgicis gaudeant, unice S. Rituum Congregatio concedit, nisi hac liturgica ratione ab immemorabili colantur. Huiusmodi tamen celebratio Patronis singularum domuum religiosarum, si qui exstent, minime conceditur.

31. Alii cuiuscumque generis Patroni, praeter eos de quibus superioribus numeris actum est, Patroni *sensu latiore* considerandi sunt, merae *pietatis causa* propositi, absque ullo liturgico privilegio.

B) De festis quae communiter « devotionis » vocantur

32. Haec festa, inde a Media Aetate, e privata devotione in publicum Ecclesiae cultum inducta, in calendariis particularibus nimis multiplicata sunt.

In his igitur calendariis huiusmodi festa tunc tantum retineantur, cum rationes *vere peculiares* id postulent.

33. Ex his festis « devotionis » sequentia e calendariis expungantur, quae ut plurimum in aliis festis aut anni temporibus iam recoluntur, vel cum aliquo tantum loco particulari relationem habent, scilicet:

In translatione almae domus B. Mariae V. (10 decembris);

In exspectatione partus B. Mariae V. (18 decembris);

In desponsatione B. Mariae V. cum S. Ioseph (23 ianuarii);

Fugae D. N. I. C. in Aegyptum (17 februarii);

Orationis D. N. I. C. (fer. III post dom. Septuagesimae);

In Commemoratione Passionis D. N. I. C. (fer. III post dom. Sexagesimae);

S. Spineae Coronae D. N. I. C. (fer. VI post cineres);

Ss. Lanceae et Clavorum D. N. I. C. (fer. VI post dom. I Quadragesimae);

Ss. Sindonis D. N. I. C. (fer. VI post dom. II Quadragesimae);

Ss. Quinque Vulnerum D. N. I. C. (fer. VI post dom. III Quadragesimae);

Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. (fer. VI post dom. IV Quadragesimae);

Eucharistici Cordis Iesu (fer. V post octavam Corporis Christi);

Humilitatis B. Mariae V. (17 iulii);

Puritatis B. Mariae V. (16 octobris).

Huiusmodi vero festa retineri possunt si cum aliquo loco speciali necessitudine connectuntur.

Festum autem S. Philumenae V. et M. (11 augusti) e quolibet calendario expungatur.

C) De festis e calendario universali expunctis

34. Circa festa quae vi n. 8 *Variationum in Breviario et Missali Romano* ad normam Codicis rubricarum e calendario universali expuncta sunt, pro calendariis particularibus haec pressius statuuntur:

a) festum S. Anacleti, quolibet titulo et gradu celebretur, transfertur in diem 26 aprilis, sub recto nomine S. Cleti;

b) festum S. Vitalis transfertur in diem 4 novembris, una cum S. Agricola;

c) festum Cathedrae S. Petri unice die 22 februarii celebrandum est;

d) praestat ut festa sub n. 8 *b*, *c*, *d*, *g*, et *h* recensita, etsi alicubi tamquam Patronus principalis vel Titulus ecclesiae habeantur, transferantur ad festa principalia, scilicet:

festum Inventionis S. Crucis, a die 3 maii ad diem 14 septembris;

festum S. Ioannis ante Portam Latinam, a die 6 maii ad diem 27 decembris;

festum Apparitionis S. Michaëlis Arch., a die 8 maii ad diem 29 septembris;

festum S. Petri ad Vincula, a die 1 augusti ad diem 29 iunii;

festum Inventionis S. Stephani, a die 3 augusti ad diem 26 decembris.

Eadem autem festa retineri possunt die quo hucusque celebrata sunt, si rationes *omnino* singulares id suadeant, et nisi sufficiat eo die solemnitatem tantum externam, ad normam n. 359 et 360 Codicis rubricarum assignare. Qua de re peculiare petatur indultum, ut sive festum sive solemnitas externa in calendario inscribatur.

Caput VI. De Textibus in Officiis

35. In parandis vel revisendis lectionibus historicis festorum cuiusvis classis, haec serventur:

a) breves et sobriae sint; unaquaeque lectio amplitudinem ne excedat ordinariam lectionum Breviarii, quarum pleraeque plus quam centum et viginti verbis non constant;

b) sermonis genus emendatum facileque evadat;

c) loca communia vitentur; falsa aut minus apta demantur vel emendentur; si autem notitiae certae fere vel omnino desint, lectiones de Communi assignentur, vel alius textus e sermonibus Patrum magis conveniens seligatur.

36. Veritati historicae non tantum in lectionibus provideatur, sed etiam in antiphonis, responsoriis, hymnis aliisque Officii partibus, si quae propriae exstent; secus eaedem partes e Communi sumantur.

37. In festis III classis:

a) si Matutinum antiphonis propriis gaudeat, circa lectiones primam et secundam ea serventur quae n. 40 et 41 *Variationum* statuuntur;

b) si vero Matutinum antiphonas proprias non habeat, lectiones prima et secunda sumantur de Scriptura occurrenti, nisi forte lectiones exstent *stricte propriae,* scilicet quae directe de Mysterio vel Sancto agant: quo in casu etiam responsoria sumuntur de festo, idest propria vel de Communi;

c) si responsoria tantum propria sint, dicuntur lectiones de Scriptura occurrenti, cum responsoriis festi, iuxta n. 42 *Variationum.*

38. In festis III classis lectio III unici Nocturni est semper de festo, et quidem:

a) si una tantum lectio historica vel « contracta » exstabat, haec retineatur;

b) si duae vel tres lectiones historicae aderant, una nova lectio conficiatur;

c) si vero sermo habebatur, tantum lectio olim quarta, scilicet prima II Nocturni servetur, vel alius textus e sermonibus Patrum magis conveniens seligatur.

39. Ad hymnos quod attinet:

a) si quattuor hymni diversi exstent, qui omnes continuatim vitam Sancti illustrant, et festum I classis non sit, primus (olim I Vesperis assignatus) hymno Matutini praemittatur, omissa conclusione; si breviari possunt, una alterave stropha omittatur; si coniungi nequeunt, utpote diversi metri vel non historici, unus auferatur;

b) si duo vel tres hymni adsint, opportuniore modo disponantur; si festum I classis sit, ordinarie idem hymnus ad utrasque Vesperas adhibeatur.

Caput VII. De Officiis et Missis disponendis

A) Normae generales pro Officiis

40. Post titulum festi, eius gradus indicetur (I vel II vel III classis aut Commemoratio).

41. Nominatio Horarum uniformiter hoc modo fiat: « Ad I Vesperas », « Ad Matutinum », « Ad Laudes », « Ad II Vesperas », etc. Singuli Nocturni sic indicentur: « In I Nocturno », etc.

42. Caput et versus libri S. Scripturae ante singulas lectiones significentur.

43. Rubricae hymnorum doxologiam respicientes demantur, v. g.: « Haec conclusio numquam mutatur », « Sic concluduntur hymni eiusdem metri », et similia.

44. In litteris maiusculis et minusculis scribendis, criterium, quo rubricarum Codex utitur, omnino retineatur.

45. In omnibus Officiis, ad Laudes et ad Vesperas, sub respectivo titulo, semper ponenda sunt, etiamsi de Communi sumpta, versus, antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat,* et oratio.

Ante alias Horas titulus ponatur, si partes propriae adsint, vel commoditatis causa repetantur.

46. Si facienda sit commemoratio alicuius Sancti, post orationem diei uniformiter ponatur rubrica: « Et fit commemoratio S... »; deinde ponantur, convenienter in extenso, antiphona, versus et oratio.

Pro commemoratione de Tempore indicanda, serventur rubricae quae iam in Breviario exstant.

B) Normae particulares pro singulis Officiis

47. *In festis I classis* omnia disponantur ut iam in Breviariis et Propriis exstant, iis exceptis quae vi rubricarum Codicis vel huius Instructionis mutanda sunt.

48. *In festis II classis,* I Vesperae:

a) ponantur cum omnibus partibus propriis pro festis Domini quae occurrere possunt in dominica II classis, sub hoc titulo « Ad I Vesperas, quando festum occurrit in dominica vel celebratur gradu I classis »;

b) item ponantur, si propriae exstent, antiphonae psalmorum vel hymnus, sub hoc titulo « Ad I Vesperas, sicubi festum celebratur gradu I classis »;

c) auferantur vero ab omnibus aliis festis II classis; versus tamen et antiphona ad *Magnificat*, si propria exstent, in II Vesperis ponantur sub rubrica « Ad I Vesperas, sicubi dicendae occurrunt ».

49. Si, *in festis III classis*, ad Matutinum, invitatorium et hymnus in extenso ponuntur, post hymnum addatur titulus « Ad Nocturnum ».

50. In festis antiphonis propriis ad Laudes gaudentibus, post primam antiphonam ponantur rubrica « Psalmi de dominica »; si Officium ab Adventu ad Pentecosten celebrari contingat, addatur insuper « 1° loco ».

51. *In festis II classis*, si Laudes saltem a capitulo in extenso scribuntur, in fine ipsarum ponatur rubrica « Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti ». In festis vero Domini quae in dominica II classis occurrere possunt, in fine Laudum ponatur rubrica « Ad Horas minores antiphona et psalmi de currenti die ». In fine Vesperarum ponatur rubrica « Completorium de dominica ».

52. *In festis III classis* cum antiphonis propriis ad Laudes et ad Vesperas, in fine Laudum haec ponatur rubrica « Ad Horas minores antiphona et psalmi de feria currenti »; in fine vero Vesperarum : « Completorium de feria ».

53. Diebus, quibus commemoratio facienda est de Sancto in feria, post indicationem diei et Sancti, ponatur vox « Commemoratio » et titulus « Ad Laudes ». Deinde ponantur, convenienter in extenso, antiphona, versus et oratio.

C) De Missis disponendis

54. In Missis quae per extensum ponuntur, maioris claritatis causa, spatium unius saltem lineae servetur inter has partes :

a) inter orationem (orationes) et Epistolam;

b) inter graduale (tractum...) et Evangelium;

c) inter secretam et antiphonam ad Communionem.

55. Sequentes locutiones adhibeantur: « Antiphona ad Introitum, antiphona ad Offertorium, antiphona ad Communionem ».

56. Orationes quae ad commemorationem pertinent, necnon partes quae unice pro Missis votivis inserviunt, ita scribantur, ut relate ad textus proprios Missae, per spatium unius vel duarum litterarum retractentur.

57. Quam maxime curandum est ut necessitas folium vertendi vitetur, cum dicenda sunt oratio, secreta, postcommunio vel alia precatio quam celebrans extensis manibus recitare debet.

58. Diebus, quibus commemoratio facienda est de Sancto in feria, post indicationem diei et Sancti, ponatur vox « Commemoratio »; deinde indicatio Missae convenientis, remittendo ad Commune, vel Missam exhibendo propriam vel partes ipsius proprias.

Caput VIII. De privilegiis et indultis in re liturgica

A) De privilegiis et indultis in genere

59. Privilegia et indulta quae rubricarum Codici obstant, revocata sunt (*Motu proprio,* n. 3). Si quis tamen Ordinarius necessarium censuerit unum alterumve ex his privilegiis et indultis iterum renovare, opportunas mittat petitiones, rationibus adductis, quae id suadere videantur.

60. Privilegia autem et indulta quae rubricarum Codici non obstant, in suo robore perseverant; attamen necesse erit et ipsa ad normam et mentem Codicis aptentur, quo securius servari queant.

61. Proinde curae sit uniuscuiusque Ordinarii elenchum privilegiorum de re liturgica, una cum calendario et Officiorum atque Missarum Proprio, ad hanc S. Congregationem transmittere, pro opportuna revisione aut renovatione, addito quoque exemplari praecedentis concessionis.

62. Praestat deinde ut, in Propriis typis imprimendis, addatur quoque elenchus privilegiorum liturgicorum, ut prae manibus sit cuique eodem Proprio utenti.

B) De privilegiis et indultis circa Missas votivas

63. Concessiones praecedentes Missarum votivarum pro solemnitatibus externis necnon pro sanctuariis et locis piis, in suo robore manent, sed praescriptionibus rubricarum Codicis (n. 358 *c*, 359, 361 et 373-377) ad unguem accommodanda sunt.

64. Ceterae Missarum votivarum concessiones, quovis modo vel quavis auctoritate factae, vi n. 3 in Motu proprio « *Rubricarum instructum* » abrogatae sunt.

65. Missarum votivarum concessiones iterum renovantur vel ex novo conceduntur tantum ob rationes peculiares publicae necessitatis vel publicae devotionis.

Huiusmodi Missae votivae, si quae concedentur:

a) gradu III classis potiuntur;

b) toto Adventus, Quadragesimae et Passionis tempore prohibentur;

c) eodem die una vel duae tantum admittuntur.

Summus vero Pontifex Ioannes Papa XXIII, in Audientia diei 8 mensis februarii anni 1961, infrascripto Cardinali S. Rituum Congregationis Praefecto concessa, hanc Instructionem in omnibus et per omnia approbare dignatus est, atque sanxit ut eam omnes, ad quos spectat, diligenter exsequantur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus S. Rituum Congregationis, die 14 februarii 1961.

✠ C. Card. Cicognani, Ep. Tusculan., *Praefectus*

L. ✠ S.

Henricus Dante, *a secretis*

DECRETUM

(Prot. N.P. 55/960)

MISSA DICENDA AB EPISCOPO SACRA OLEA EXTRA FERIAM IN CENA DOMINI CONFECTURO. RITUS SERVANDUS A SACERDOTE OLEUM INFIRMORUM, SI NECESSITAS URGEAT, CONFECTURO.

Attentis peculiaribus Missionalis Apostolatus adiunctis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide decennali facultate Episcopis creditae sibi ditioni tributa indulsit, ut Episcopus olea sacra conficere valeat, si necessitas urgeat, etiam extra Feriam V in Cena Domini, atque ut sacerdotes, de licentia loci Ordinarii, conficere possint oleum infirmorum, in casu tamen verae necessitatis, id est, si oleum infirmorum, ab Episcopo benedictum, haberi nequeat.

Quapropter idem Sacrum Concilium christiano nomini propagando ex Sacra Rituum Congregatione exquisivit:

1) Quaenam Missa dicenda est ab Episcopo, sacra olea extra Feriam V in Cena Domini confecturo;

2) Quis ritus servandus a Sacerdote, oleum infirmorum, si necessitas urgeat, confecturo.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a SS.mo Domino nostro IOANNE PAPA XXIII tributarum, propositis dubiis respondit:

Ad I. Dicenda est Missa Chrismatis ex Ordine Hebdomadae Sanctae instaurato, cum variationibus in adnexo exemplari descriptis.

Ad II. Servetur ritus, prouti in adiecto prostat exemplari.

Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Die 14 novembris 1960.

✠CAIETANUS Card. CICOGNANI
S. R. C. Praef.
Henricus Dante, S. R. C. a Secr.

ADNEXUM I

Variationes in missa Chrismatis quando dicitur extra feriam V in Cena Domini

1) Antiphonae ad Introitum, extra tempus Passionis, addatur *Gloria Patri.*

2) Tempore Septuagesimae et tempore Quadragesimali dicatur:

Tractus Ps. 88, 20-22 *Imposui coronam potenti; extuli electum de populo.* V. *Inveni David, servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* V. *Ut manus mea sit semper cum eo, et brachium meum confirmet eum.*

Tempore Paschali dicatur:

Alleluia, alleluia. V. Ps. 44, 8, *Diligis iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae. Alleluia.* Ps. 88, 21 *Inveni David, servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Alleluia.*

Extra tempus Paschale et tempus Quadragesimale, post Graduale addatur:

Alleluia, alleluia. V. Ps 44, 8, *Diligis iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitae. Alleluia.*

3) Omittantur Rubricae n. 14 et 15 ex ordine Missae Chrismatis.

ADNEXUM II

Ritus benedicendi oleum infirmorum

a Sacerdotibus, quibus ex peculiari Indulto Apostolico facultas facta est servandus.

Sacerdos, superpelliceo et stola violacea indutus, dicit:

Exorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incursio satanae, et omne phantasma: in nomine Pa†tris, et

Fi†lii, et Spiritus † Sancti; ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi; ut in eo possit Spiritus Sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis; et per nomen dilectissimi Filii eius Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

P. Amen.

V. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Emitte, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de caelis in hanc pinguedinem olivae, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis, et corporis; ut tua sancta bene†dictione, sit omni hoc unguento caelestis medicinae peruncto, tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque aegritudinem mentis et corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres; sit Chrisma tuum perfectum, Domine, nobis a Te benedictum, permanens in visceribus nostris. In Nomine Domine nostri Iesu Christi.

Sacra Congregatio Consistorialis

DICIONIS CANADENSIS

De constitutione officii Cappellani Generalis Vicariatus Castrensis

DECRETUM

(A.A.S. 53 [1961] 48)

Vicariatus Castrensis Dicionis Canadensis, decreto Consistoriali « *Materna Ecclesiae pietas* » diei 17 Februarii 1951 erectus, Vicario Castrensi, Cappellano maiore, tribus Cappellanis delegatis pro copiis respective terrestribus, maritimis et aëreis, ceteris militum Cappellanis atque subditis laicis et religiosis constitutus fuit.

Cum autem Exc.mus P. D. Mauritius Roy, Archiepiscopus Quebecensis et Vicarius Castrensis Canadensis, variis recentis aevi vicissitudinibus inductus, enixe postulavisset ut novum apud Vicariatum Castrensem institueretur officium, Cappellani, scilicet; generalis, SS.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia PP. XXIII, ratus huiusmodi munus animarum saluti profuturum, porrectis precibus benigne annuere dignatus est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent, in Vicariatu Castrensi Canadensi munus *Cappellani generalis* vulgo « Aûmonier général » instituit ac erigit, quod medium erit Cappellanum maiorem inter et Cappellanos delegatos.

Cappellanus generalis institutionem canonicam atque necessarias facultates a Vicario Castrensi delegatas obtinebit.

Ad haec exsecutioni mandanda eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Exc.mum P .D. Sebastianum Baggio, Archiepiscopum titularem Ephesinum et in Dicione

Canadensi Delegatum Apostolicum, necessarias et opportunas ei tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 mensis Octobris anno 1960.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
a Secretis

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

ORBIS - VICARIATUS CASTRENSES

DECRETUM

(A.A.S. 53 [1961] 49)

FACULTAS AUDIENDI CONFESSIONES PRO MILITUM CAPPELLANIS EXTENDITUR

Sacramentum Poenitentiae, quo — divina institutione — lapsis post Baptismum beneficium Christi mortis applicatur, iidemque cum Deo reconciliantur, ut fideles frequenter reciperent, nullo umquam tempore Apostolica Sedes destitit vehementer adhortari.

Quo tamen ministerium et potestas clavium in remittendis retinendisque peccatis — tum ad validitatem, tum ad liceitatem quod attinet — rite exerceretur, eadem Sancta Sedes opportunas aptasque per saecula edidit normas, licentiam audiendi sacras confessiones vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus limitando, siquidem in actione iudiciali id consistit, quae, praeterquam potestate ordinis, potestate iurisdictionis ordinaria vel delegata, suapte natura, innititur.

Quae Sacrosancta Tridentina Synodus — divino afflante Spiritu — de audiendis confessionibus decrevit, presbyteros nimirum nullos posse fidelium confessiones excipere, nec ad id idoneos deputari nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis approbationem obtinuerint, in Codice Iuris Canonici enucleata pressiusque delimitata inveniuntur, atque, nisi animarum salus aliud suadeat, ab omnibus ad quos spectat religiose servanda sunt.

Vicarii Castrenses, quatenus ordinaria fruentes personali iurisdictione, militum vero cappellani animarum curam, paroeciali quasi munere, exercentes subditorum tantummodo, haud dubie definitorum vel concreditorum, confessiones excipiendi potestate ex iure ditantur.

Quandoquidem post diuturnas ac varias recentis aevi vicissitudines, coniunctioribus voluntatibus magisque consociatis fraterno foedere viribus mutuam vitae consuetu-

dinem reddere homines percupiunt; crebrioribus ad id effectis earum rerum commerciis quibus populorum ac nationum ratio et moderamen regitur ac fulcitur.

Hisce imo temporibus, et militum copiae de alia in aliam transmitti consuevit dicionem, ita ut in iisdem stativis aut erraticis castris plurium tum agminum tum regionum milites saepenumero castrametari simul contingeret, unumque plurium foederatarum nationum constituerent exercitum.

Cum vero, iisdem in adiunctis, proprius uniuscuiusque agminis cappellanus plerumque praesto esse nequiverit, qui spiritualia cupientibus ministraret adiumenta, ab Apostolica Sede postulatum est ut quilibet militum cappellanus — sive in patria sive extra — in locis tamen militibus reservatis, confessiones excipere valeret Christifidelium omnium quibuscum convivere contingeret, vel proprii vel ceterarum nationum essent subditi Vicariatus Castrensis.

Sacra Congregatio Consistorialis, ad Omnipotentis Dei gloriam ac Ecclesiae utilitatem et aedificationem, re mature perpensa, ne milites, quorum vitae et pietati gravia undique saeva adversantur discrimina, supernis careant, Eucharistico praesertim Pane, in agone solaciis, praesenti Decreto statuere, decernere et declarare opportunum duxit ut:

Universi militum cappellani qui facultate audiendi confessiones a proprio Vicario Castrensi praediti sint, quoties — ubique terrarum — praesentes adsint in locis sive continenter sive transeunter militibus reservatis, hoc est in stativis aut erraticis castris et in navibus, sacri ministerii peragendi causa, valide et licite, de consensu saltem praesumpto proprii Vicarii Castrensis, confessiones excipere possint quorumlibet subditorum cuiuscumque Vicariatus Castrensis qui sponte petierint; ita ut cuivis militi aut subdito cuiuslibet Vicariatus Castrensis peccata sua fas sit confiteri apud quemlibet militum cappellanum cuiusvis nationis, qui memoratis fruatur condicionibus.

Serventur accurate cetera de iure servanda, praesertim quae ad mulierum confessiones attinent.

Ss.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII in Audientia die 27 mensis Novembris anno 1960 habita ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis Consistorialis, praesens Decretum Apostolica Auctoritate munire dignatus est atque edi iussit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 27 mensis Novembris anno 1960.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
a Secretis

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

INDICES

PERIODICA, TOM. L 1961

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

R. P. Bender, Ludovicus, O. P., Prof. Iur. Can. in A. P. I. « Angelicum ».

R. P. Bertrams, Wilhelmus, S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Buijs, Ludovicus, S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Fuchs, Ioseph, S. I., Prof. Theol. Mor. in P. U. Gregoriana.

R. P. Gordon, Ignatius, S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Lo Grasso, Ioannes, S. I., Prof. Hist. Iur. Publ. Eccl. in P. U. Gregoriana.

R. P. Navarrete, Urbanus, S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Pujol, Clemens, S. I., Prof. Iur. Orient. in P. Instituto Orient. Stud.

R. P. Robleda, Olisius, S. I., Prof. Iur. Rom. in P. U. Gregoriana.

R. D. Szentirmai, Alexander T., Doctor, Maria-Anzbach, Nieder-Österreich, Kloster Meierhofen.

R. P. Zalba, Marcellinus, S. I., Prof. Theol. Mor. et Iur. Can. in Fac. Theol. Oniensi.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM ANNOTATIONUM

Pag.

Criteria nullitatis sententiae iudicialis. — O. Robleda S. I. . 3

Nota de aliquo casu recentiore « sterilizationis therapeuticae ». — I. Fuchs S. I. 31

Addenda ad Commentarium in Formulam facultatum decennalium. — L. Buijs S. I. 39

Regimen domus orientalis ritus in religione latina. — C. Pujol S. I. 137

De iurisdictione ad audiendas confessiones iuxta constitutiones Primae Romanae Synodi. — U. Navarrete S. I. 160

De caelibatu clericorum. — W. Bertrams S. I. 203

Materia gravis in violatione voti paupertatis. — M. Zalba S. I. 241

Quaestiones recentiores de locis sacris et legum universalium derogationes in Prima Synodo Romana. — I. Gordon S. I.

Pars I: *Quaestiones recentiores de locis sacris* . . 267
Pars II: *De legum generalium derogatione* . . . 369
Pars III: *De constitutionum synodalium extensione* . 399

Summarium Primae Romanae Synodi (Liber I: De personis, Pars I, sectio prima: continuatio). — I. Lo Grasso S. I. 356

De dispensationibus matrimonialibus in dubio facti. — A. Szentirmai 408

Matrimonium cum persona dubie baptizata. — L. Bender O. P. 426

INDEX MONUMENTORUM

Pag.

I. - CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

Acta Sanctae Sedis 6 iun. - 31 dec. 1960; 1 ian. - 31 mai. 1961

I. Indicationes introductoriae 45; 311
II. Series Actorum chronologica 49; 313
III. Classificatio Actorum:
A. Auctores et qualificationes Actorum . . 63; 316
B. Fontes Actorum 63; 316
C. Argumenta Actorum 64; 316
IV. Textus Actorum secundum argumentum ordinati:
A. Concilium 64; 317
B. Synodus 110; 351
C. Codex Iuris Canonici 134

II. - ALIA MONUMENTA

S. D. N. Iohannes pp. XXIII
Litterae Apostolicae motu proprio datae: Novum rubricarum Breviarii et Missalis Romani corpus approbatur 212
Suprema S. C. S. Officii
Notificatio 367

S. C. Consistorialis
Columbiae: Decretum de regimine vicariatus castrensis 216
Decretum de clericis ex America Latina necnon ex Insulis Philippinis in Americam Septemtrionalem emigrantibus 218
Excommunicationis declaratio 368
Dicionis Canadensis: Decretum de constitutione officii Cappellani Generalis vicariatus castrensis . . . 452
Orbis — Vicariatus castrenses: Decretum: Facultas audiendi confessiones pro militum Cappellanis extenditur 454

S. C. Concilii
Decretum: Novus index statuitur dierum festorum, quibus inest obligatio litandi sacrum pro populo . 220
Annotationes. — M. Zalba S. I. 222
Decretum de servitio chorali novo rubricarum codici accommodando 231

Pag.

S. C. Rituum

Romana et aliarum: Decretum de precibus post Missae celebrationem recitandis 232

Decretum generale quo novus rubricarum Breviarii ac Missalis Romani codex promulgatur 233

Declaratio de servandis in calendariis particularibus inde ab anno 1961 234

Ordinationes ad librorum liturgicorum editores . . 235

Monitum: Novus rubricarum codex ante diem 1 ianuarii 1961 non viget 238

Declaratio: Recitatio Laudum anticipari non licet . . 239

Decretum: Laudibus in blasphemiarum reparationem nova additur invocatio 240

Instructio: De calendariis particularibus et Officiorum ac Missarum propriis ad normam et mentem codicis rubricarum revisendis 435

Decretum: Missa dicenda ab episcopo sacra olea extra feriam in Cena Domini confecturo. Ritus servandus a sacerdote oleum infirmorum, si necessitas urgeat, confecturo 449

INDEX CANONUM

Codex Iuris Canonici

5: 142
6, 2°: 418
11: 3. 6 s. 23. 28
14, § 1, 2°: 310
15: 408-424. 427-431
16, § 2: 419
18: 153
22: 370
25: 155
42, § 1: 424
63: 153 s
81: 43. 413. 421. 423. 425. 429
84, § 1: 423
84, § 2: 409. 412. 424
91: 186
94, § 1: 377. 385
96: 188
104: 412. 424
106, 3°: 216
114: 371
126: 392
130, § 1: 392
132, § 1: 416
139, § 3: 392 s
197, § 1: 424
198: 192. 309. 408
199, § 1 : 169. 424
199, § 2: 309
199, § 3: 424
200, § 1: 416
202, § 3: 409
209: 172. 424
239, § 1, 7°: 372
230, § 1: 222
257, § 1: 151
294, § 1: 372
306: 223 s
308: 372
315: 372
315, § 1: 223
323, § 1: 223. 372
339, § 1: 220. 223. 226
349, § 1, 1°: 372
371: 386 s
394: 25
440: 223
462: 372 ss
462, 5°: 374
465: 188
466, § 1: 220. 223 s
466, § 2: 230
470, § 2: 413
471, § 1: 188
471, § 4: 223
472, 1°-2°: 188
473, § 1: 223
474: 188
475: 188
476, § 3-4: 390
488, 1°: 138
488, 5°: 138
488, 8°: 185
492: 387
492, § 1: 384
497, § 1: 381
501, § 1: 144
504: 144
505: 144
510: 147
514: 180. 196
519: 182
530: 144
533-534: 147
539 ss: 144
543: 144
549: 147
554: 148

572 ss: 145
575, § 2: 144 s
586, § 3: 413
597-605: 149
608, § 1: 378. 380
609, § 3: 378
613, § 1: 152 ss
615: 148. 156. 378 s. 384
618, § 1: 156
621, § 1: 157. 375
641, § 1: 150
650, § 2: 150
652, § 1-2: 150
654 ss: 151
654: 157
666: 151
675: 179
738, § 2: 387 ss. 391
763: 421
765, 1°-2°: 421
774, § 2: 374
775: 387 ss. 391
777: 374
798: 374
822, § 2-3: 371
841: 384. 400
854, § 4-5: 314 s
859, § 3: 394
873, § 1-2: 194 ss
873, § 1: 188
874: 172
874, § 2: 168
876: 170. 187. 194
877-878: 172
877: 173. 175. 381. 400
877, § 2: 197
880: 172
881, § 2: 194
908-910: 177
983: 180
987, 2°: 415
1014: 409. 420
1015, § 2: 419
1017: 411 s
1020: 372 ss
1020, § 1: 411
1043: 43. 372 ss. 413. 421. 423
1043-1045: 416. 429
1045: 423
1045, § 1: 413
1049: 428 s
1049, § 2: 427. 434
1050: 425
1051: 425
1054: 423. 429
1056: 425
1059: 413
1061, § 1, 2°: 413
1068, § 2: 414
1069, § 1-2: 414
1070: 432, 434
1071: 413
1072: 416
1075: 417 s
1076, § 3: 420
1079: 421
1080: 413
1094: 411
1096, § 1: 390
1099: 421
1110: 414
1128: 409
1131, § 1: 409
1154: 285
1162, § 2: 270 s. 391
1163: 288
1164, § 1: 270 s
1165, § 1. 3: 287
1167: 288
1178: 289 ss. 294
1185: 296
1188, § 1: 285. 391
1192: 285. 391
1195: 371. 285. 391
1196: 285. 391
1197, § 1: 278
1211: 304 ss
1222: 374
1234, § 2: 301
1235, § 2: 301 s
1244, § 1: 226
1247: 226. 228
1262, § 2: 290 s
1265, § 1: 297
1268, § 2: 280
1268, § 4: 276

1269, § 2: 276
1274, § 1: 287. 391
1279: 276
1309: 412
1312, § 2: 412
1313, 1°: 411
1318, § 1: 411
1319, 2°-3°; 412
1320: 412
1334: 378
1340, § 1: 381. 400
1345: 378
1368: 197
1369, § 1: 367
1385: 377
1386: 377
1524: 297
1585: 8. 10
1585, § 1: 23
1587: 8. 10. 20. 26
1587, § 1: 23
1603, § 1: 22
1655, § 1-3: 20
1679: 28. 30
1680: 3. 5 s. 28
1680, § 1: 29
1680, § 2: 23. 30
1687: 11. 13
1689: 29
1715: 23
1723: 23
1731, 2°: 20
1736: 22
1757, § 2-3: 22
1761, § 2: 8
1767: 20
1816: 421
1855, § 2: 22
1861, § 2: 20. 23
1862: 20
1873, 1°-3°: 27
1880: 11 s. 22
1892: 8 ss. 12. 22-30
1893: 22 s.
1894: 8 ss. 12. 22-30
1895: 22 s. 28
1902: 22
1902, 3°: 12
1905: 8-13
1905, § 2,1°-3°: 17
1905, § 2, 4°: 21
1993-1998: 415
2197, 3°: 418
2209, § 1-3: 368
2232, § 1-3: 418
2233, § 1: 418
2247, § 2-3: 169
2261: 180
2264: 180
2275: 180
2284: 180
2334, 2°: 368
2343, § 3: 368
2354: 418
2356: 418
2357, § 2: 418

Ius Orientale

ex Litt. Apost. « *Crebrae allatae* » motu proprio datis, 22 febr. 1949 (*A.A.S.* 41 [1949] 89-117)

32, § 2: 414

ex Constit. Apost. « *Postquam Apostolicis Litteris* » motu proprio data, 9. febr. 1952 (*A.A.S.* 44 [1952] 65-150)

5: 137-159
5, § 1: 137. 139 ss. 151 ss 155
7-20: 146
9, § 2: 146
19, § 3: 146

24: 146
26, § 2, 1°-2°: 144
32, § 3, 1°: 144
34, § 3-4: 146
43-44: 147
44, § 2, 2°: 157
50-61: 146
62: 144
62, § 1: 157
65-67: 147
71: 144
75: 144
87: 148
100, § 3: 157
106, § 2: 157
111: 145
111, § 2: 144
132, § 1: 148
133: 149
140-151: 149
155: 149
157: 159
159, § 1-2: 149
162: 156
163, § 1: 157
171-173: 149
171, § 2: 157
179-181: 149
182 ss: 150
194, § 2: 150
199, § 1, 3°: 150
199, § 2: 150
199, § 3, 5°: 150
203, § 2, 1°: 150
205, § 1: 150
205, § 2. 4: 151
206: 157
312, § 3, 1°: 138

ex Litt. Apost. « *Cleri sanctitati* » motu proprio datis, 2. iun. 1957 (*A.A.S.* 49 [1957] 433-603)

2, § 1: 158
195, § 1: 139. 148. 151
406: 148
489-492: 149
494: 149
497: 149

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Aedituus ecclesiae secundum Synodum Romanam I, 297 s.
Altare sec. Synod. Rom., 278 ss.
— portatile, 40, 371 s.
America Latina: clerici emigrantes, 218 s.
— Septemtrionalis: clerici immigrantes, 218 s.
Ars sacra in ecclesiis: leges Synodi Romanae, 271-274.
Assistens ecclesiasticus sec. Synod. Rom., 365 s.

Baptismus: ius conferendi, sec. Synod. Rom., 387 ss.
— privilegium basilicarum patriarchalium Urbis, 387 ss.
— dubie validus: sequelae pro matrimonio ineundo, 426-434.
Baptisterium sec. Synod. Rom., 280 s.
Basilica patriarchalis Urbis: ius quoad baptismum, 387 ss.
Breviarium Romanum: novae rubricae (approb., promulg.) 212 ss. 233.
— ordinationes pro editoribus, 235 ss.

Caelibatus clericorum, 203-211.
Calendaria particularia: revisio ad mentem nov. rubric., 234 s. 435-448.
Campana ecclesiae, 284 s.
Canada: Vicariatus castrensis: officium Cappellani Generalis, 452 s.
Capitulares sec. Synod. Rom., 358.
Cappellanus sec. Synod. Rom., 363 ss.
Cassatio sententiae iudicialis, 18 s.
Castrensis vicariatus: vd. *Vicariatus castrensis.*
Chorale servitium: accommodatio ad novum rubricarum codicem, 231.
Cinematographicae proiectiones in ecclesia, 293 ss.
Clericus: licentia adeundi tribunal laicorum, 392 ss.
— caelibatus, 203-211.
— emigrans ex America Lat. in Americam septemtrionalem, 218 s.
— Romanus: legislatio Synodi Romanae pro clero, 356-366.
Codex Iuris Canonici: revisionis proposita, 29 s. 134 s.
Codex rubricarum novus: vd. *Rubricae.*
Columbia: Vicariatus castrensis, 216 s.
Communio eucharistica: admissio sec. Synod. Rom., 394 ss.
Concilium Vaticanum II: tempus antepraeparatorium, 45 s.
— tempus praeparatorium, 46 s.
— Acta S. Sedis Concilium respicientia: vd. Indicem Monumentorum.

Confessarius: regulae Synodi Romanae pro confessario, 199-202.
— pro sacerdote Romam peregrinante, 183 s.
— pro Religiosis, 179-183. 198 s.

Dispensatio matrimonialis: indoles iuridica, 422 ss.
— applicationes, 410-422.
Domus religiosa: adscriptio ad ritum orientalem, 138 s.
— exempta: legislatio Synodi Romanae, 381 ss.
— Religionis latinae ritui orientali adscripta, 137-159.
— — erectio, suppressio, 146, 148.
— — muneris regendi duratio, 144.
— — postulatus, 144.
— — novitiatus, 144 s.
— — professio, 144 s.
— — admissio ad s. ordinationem, 148.
— — transitus ad aliam Religionem, 149 s.
— — dimissio ex Religione, 145, 150 s., 157.
— — iurisdictio confessarii, 146.
— — ratio conscientiae, 144.
— — privilegiorum conservatio vel amissio, 151-157.
— — exemptio, 156 s.
— — competentia ordinarii loci, 144-151, 157.
— — visitationis ius et officium, 146 s., 157.
— — licentia ad mendicandum, 149, 157.
— — paroeciae administratio, 149.
— — clausura, 149.
— — rituum orientalium obligatio, 158 s.
— — Officium divinum, 159.
— — ieiunii et abstinentiae leges, 158.
Dubium facti: quoad baptismum, 426-434.
— quoad sponsalia, 411 s.
— quoad impedimenta matrimonii, 412-421.
— quoad formam canonicam matrimonii, 421 s.

Ecclesia: aedium adiacentium complexus, 274 s.
— erectio, 269 285.
— lapis primarius, 287 s.
— dedicatio, consecratio, 285-289.
— ars sacra: legislatio Synodi Romanae, 271-274.
— superstructura, 276 ss.
— luminaria, 284.
— decor: mundities, decentia visitantium, profanum arcendum, 291 ss.
— aedituus, 297 s.
Ecclesia orientalis: personarum obligatio ad tempora sacra, 376 s.
Editores librorum liturgicorum: ordinationes S. C. Rituum, 235-238.
Educatio ad caelibatum, 208 ss.

Examen post expleta studia theologica aliquoties subeundum, 392.
— ad audiendum confessiones sec. Synod. Rom., 173 ss.
Excardinatio sec. Synod. Rom., 371.
Excommunicatio: declaratio, 368.
Exemptio domus religiosae sec. Synod. Rom., 381 ss.
— sacerdotum regularium quoad ministerium apostolicum, 378 ss.
Exercitia spiritualia obligatoria pro clero, 392.

Facultates decennales: mutanda in Formula, 39-43.
Festa: Index novus festorum cum obligatione litandi sacrum pro populo, 220-231.
— sollemnitatis externae translatio, 39, 42.
— propria dioecesi et Religioni: revisio sec. novas rubricas, 435-448.

Horae canonicae: tempus recitandi, 39, 42.

Ieiunium eucharisticum, 308 ss.
Illuminatio ecclesiarum sec. Synod. Rom., 284.
Imagines in ecclesiis: principia Synodi Romanae, 282 s.
Incardinatio sec. Synod. Rom., 371.
Interdictum personale: notificatio, 367.
Iurisdictio ad audiendas confessiones: principia generalia, 160 ss.
— difficultates ex principiis provenientes, 160 ss.
— legislatio Synodi Romanae, 160-202.
— officialis concedens iurisdictionem in dioecesi Romana, 169.
— extensio iurisdictionis sec. Synod. Rom., 169-173.
— reservationes in dioecesi Romana, 173.
— obligatio procurandi sibi iurisdictionem, 165-169.
— personae privilegiatae, 190-194.
— examen, 173 ss., 190 ss., 197.
— facultates: parochorum: audiendi confessiones 193 ss.
— — — delegandi ad confessiones audiendas, 187 ss.
— — Superiorum religiosorum exemptorum, 194 ss.
— — Ordinarii castrensis et cappellani militum, 184 ss., 194, 196 s.
— confessiones sacerdotum, 183 s.
— — religiosorum utriusque sexus, 179-183.
— — religiosarum speciatim, 182 s., 198 s.

Laudes: anticipationis abrogatio, 39, 42, 239.
Leges universales Ecclesiae: derogatio per Synod. Rom., 370 s.
Loci sacri: legislatio Synodi Romanae, 269-307.

Matrimonium: aestimatio moderna, 206 s.
— cum persona dubie baptizata, 426-434.
— dispensatio: ab impedimento in dubio facti, 408-425.
— — super forma canonica, 421 s.
— ius delegandi parochorum sec. Synod. Rom., 390 s.
— sanatio in radice, 43.

Matutinum: anticipatio, 39, 42, 239.
Megaphonium in ecclesiis, 284.
Mendicandi licentia Religiosorum: sec. Synod. Rom., 373.
— ad domum ritus orientalis pertinentium, 149, 157.
Ministrantes pueri sec. Synod. Rom., 296, 298 s.
Missa: Preces Leoninae post M., 232 s.
— chrismatis extra feriam V in Cena Domini, 449 s.
— defunctorum, 41.
— de dominica intra hebdomadam celebrata, 41 s.
— onera (stipendia) in fine anni tradenda, 384 s.
— propria dioecesi aut Religioni: revisio sec. nov. rubricas, 435-448.
Missale Romanum: novae rubricae (approb., promulg.), 212 ss., 233.
— ordinationes S. . Rituum pro editoribus, 235-238.
Musica mechanice reproducta in ecclesiis, 293 ss.

Nullitas sententiae iudicialis, 3-30.

Officium divinum: novae rubricae: vd. *Rubricae.*
— tempus recitandi horas canonicas, 39, 41.
— proprium dioecesi aut Religioni: revisio ad mentem novarum rubricarum, 435-448.
Olea sacra: ritus conficiendi extra feriam V in Cena Domini, 449 s.
Oleum infirmorum: ritus benedicendi pro sacerdote simplici, 450.
Oratorium privatum sec. Synod. Rom., 371 s.
Orientalis ritus: vd. *Domus relig.* et *Ecclesia orient.*

Paramenta liturgica: color, 40 s.
— pontificalia, 40, 42 s.
Parochus: summarium legislationis Synodi Romanae, 358-361, 372 ss.
— facultas: audiendi confessiones, 193 ss.
— — delegandi ad audiendas Confessiones, 187-190.
— — delegandi ad assistentiam matrimonialem, 390 s.
Paupertas: materia gravis in violatione voti, 241-266.
— — in Societate Iesu, 264 ss.
Philippinae insulae: clerici emigrantes in Americam Septemtr., 218 s.
Photographicae artis usus in ecclesiis, 295.
Preces Leoninae post Missam recitandae, 232 s.
Proprium Officiorum et Missarum: revisio ad mentem nov. rubr., 435-448.
Pulpitum sec. Synod. Rom., 283 s.

Rector ecclesiae sec. Synod. Rom., 362 s.
Religiosi et Religiosae: vd. *Confessarius*, et *Domus religiosa.*
Reservationes (censurae, peccata) in Urbe, 173.
Restitutio in integrum relate ad nullitatem sent. iud., 8-22, 28.
Rochetum, 40, 43.

Rogationum feriae: translatio, 39, 42.
Roma: licentia commorandi pro sacerdotibus, 167, 187, 189.
— obligatio comparandi sibi facultatem: celebrandi Missam, 167.
— — audiendi confessiones, 165-169, 173, 188.
— sacerdotes peregrinantes Romam: copia confessariorum, 183 s.
— — facultas audiendi confessiones, 175 ss.
— reservationes quoad facultatem audiendi confessiones, 173.
Rubricae: novus Codex rubricarum (approb., promulg.) 212 ss. 233.
— tempus a quo novae rubricae vigent, 238 s.
— adaptanda novis rubricis, 234 s., 435-448.
— ordinationes S. C. Rituum ad editores librorum liturg., 235-238.
— mutanda in Formula Facultatum decennalium, 39 s.

Sacerdos: obligatio ad exercitia spiritualia, 392.
— obligatio ad examen theol. post expleta studia aliquoties subeundum, 392.
Scribendi licentia in foliis publicandis pro clericis, 377 s.
Sententia iudicialis: criteria nullitatis, 3-30.
— cassatio, 18 s.
Sepultura ecclesiastica: legislatio Synodi Romanae, 300-307.
Sponsalia iuramento firmata: dissolutio, 411 s.
Sterilitas temporanea ope pillularum effecta, 31-38.
Sterilizatio directa et indirecta, 33 s.
— therapeutica, 31-38.
Stipendium Missarum non persolutarum, 384 s.
Suspensio a divinis in dioecesi Romana, 173.
Synodus Romana I a. 1960: nota historica, 46.
— Acta respectiva: vd. Indicem Monumentorum.
— extensio obligationis legum Synodi, 267 s., 399 s.
— legum generalium determinatio et derogatio, 369-407.
— leges Synodi extra dioecesim Romanam vim habentes, 400 s.
— summarium legum pro clero Romano, 356-366.
— leges et facultates pro diversis generibus officialium: vd. sub eorum designationibus propriis.
— leges pro personis ritus orientalis in vicariatu Urbis, 376 s.
— leges de locis sacris, 269-307.
— facultas baptizandi, 387 ss.
— admissio ad communionem eucharisticam, 394 ss.
— leges et facultates pro sacramento paenitentiae, 160-202.
— regulae pastorales pro confessario.
— leges de sepultura, 300-307.

Tabernaculum sec. Synod. Rom., 280.
Televisio in ecclesiis, 294 s.
Thurificatio in Missa, 40.
Tribunal laicorum: licentia adeundi pro clerico, 392 ss.

Vaticanum II: vd. *Concilium Vaticanum II*.
Venditio intra limina ecclesiarum, 291 s.
Vicariatus castrensis: facultas audiendi confessiones, 454 ss.
— in Canada, 452.
— in Columbia, 217.
Vicarius Generalis dioecesis Romanae: legislatio Synodi Rom., 386 s.
Vicarius parochi sec. Synod. Rom., 361 s.
Virginitas: praestantia prae matrimonio, 203, 207.

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. L. 1961 - FASC. I

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Criteria nullitatis sententiae iudicialis, O. Robleda, S. I. 3

Nota de aliquo casu recentiore « sterilizationis therapeuticae », I. Fuchs, S. I. 31

Addenda ad commentarium in formulam facultatum decennalium, L. Buijs, S. I. 39

II - Monumenta

CONCILIUM, SYNODUS, CODEX IURIS CANONICI

Acta Sanctae Sedis 6 iun. - 31 dec. 1960

I. *Indicationes introductoriae* 45

II. *Series Actorum chronologica* 49

III. *Classificatio Actorum*:

A. Auctores et qualificationes Actorum . . . 63
B. Fontes Actorum 63
C. Argumenta Actorum 64

IV. *Textus Actorum secundum argumenta ordinati*:

A. Concilium 64
B. Synodus 110
C. Codex Iuris Canonici 134

LIBRERIA EDITRICE DELLA PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIANA

4 - Piazza della Pilotta - Roma - C.C.P. 1/18690

RECENTI PUBBLICAZIONI

	lire	$
BUIJS, L., S. I.: Facultates Decennales, quas Sacra Congregatio de Propaganda Fide concedit Ordinariis missionum ad decennium quod decurrit a die 1 Mensis Ianuarii 1961 ad diem 31 Mensis Decembris 1970, cum commentario, p. 216	1.200	2.00
FUCHS I., S. I.: Theologia Moralis Generalis, Pars prima, p. 220	1.200	2.00
De Sacramentis in genere. De Baptismo et Confirmatione. p. VIII-91	600	1.00
De Castitate, 3ª ed.	(sub prelo)	
BERTRAMS, W., S. I.: Il Celibato Sacerdotale: Significato e Motivi (tradotto dal tedesco) 2ª ed.	(praeparatur)	
ROBLEDA, O., S. I.: Ius privatum romanum, I° Introductio in studium iuris privati romani, p. XV-335	2.500	4.25

EXCERPTA

NAVARRETE, U., S. I.: De iurisdictione ad audiendas confessiones iuxta constitutiones Primae Romanae Synodi (Periodica de re morali canonica liturgica, Tom. L, Ann. 1961, fasc. II, p. 160-202)	200	0.30

AVVISO AGLI ABBONATI

1) Nel fare l'abbonamento o nel trasmettere indirizzi, indicare sempre se trattasi di abbonamenti nuovi o rinnovati.

2) Rinnovando dare l'indirizzo uguale a quello con cui si riceve.

3) Per correzioni o variazioni al nuovo indirizzo si unisca sempre il vecchio con cui si riceveva.

Roma, Piazza della Pilotta, 4 (c. c. post. 1/22326)

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Vincenzo Monachino S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1961

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

prodit quater in anno

integrum volumen circiter 450 paginas continet

SUBNOTATIONIS RATIO

Nominis ac domicilii inscriptio clare signetur et in subnotatione iteranda indicetur semper praecedens inscriptio cum numero sibi imposito.

Subnotationis annuum pretium in antecessum solvendum est et ejus pactio tacite iterata censetur, nisi expresse ante finem anni renuatur.

Nulla querela pro prioribus fasciculis admittitur, nisi statim post receptum sequentem.

Pretium annuae subnotationis:	in Italia L. 1.500 -	Extra Italiam $ 3.
Fasciculus vertentis anni:	in Italia L. 500 -	Extra Italiam $ 1.
Volumen praeteritum:	in Italia L. 2.000 -	Extra Italiam $ 4.
Fasciculus praeteritus:	in Italia L. 600 -	Extra Italiam $ 1.25

Roma, Piazza della Pilotta, 4 (c. c. postale 1/22326)

800